CONGREGATIO GENERALIS VI

24 octobris 1962

Exc.mus P. D. PERICLES FELICI, *secretarius generalis*:

Fit inthronizatio Sacri Evangelii. Velint omnes surgere!

Praeses card. PLA Y DENIEL: « Adsumus... ».

Secretarius generalis:

Hodiernae congregationi generali praeest em.mus ac rev.mus D. Henricus card. Pla y Deniel, arch. Toletanus.

Prosequitur discussio de prooemio et de primo capite constitutionis *de sacra Liturgia.*

Nuntium do omnibus triste: dum ad hanc aulam pergebat, improviso morbo correptus est exc.mus D. Aston Chichester, S. I., arch. tit. Velebusdiensis, qui, dum ad nosocomium vehebatur, supremum diem obiit. Velimus pro eo orare.

Praeses: *De profundis*

PATRUM ORATIONES

1

EM.MUS P. D. EUGENIUS CARD. TISSERANT

Multum dictum est, Venerabiles Patres, hesterna die de usu latinae linguae in ritu romano, sed non omne quod dicendum erat. Non est *verum quod Liturgia romana latine tantum celebrata sit. Cum Cyrillus et Methodius anno 864 in Moravia praedicaverant, pro neophytis, qui lingua slavonica loquebantur, translationem slavonicam Missae romanae* praeparaverunt. Unde a missionariis germanicis Romae accusati sunt, quod novitatem illicitam introduxerant.

Romam peregrinantes anno 867, cum Venetiis erant, sacerdotes loci eis dixerunt tres tantum linguas sacras esse in Liturgia adhibendas: hebraicam, graecam et latinam, quae in titulo crucis legebantur. Summi

Pontifices tamen Adrianus II et Ioannes VIII adsensu suo usum linguae slavonicae in Liturgia Missae comprobaverunt. Unde Missale Romanum pro dioecesibus Dalmatiae haud semel, etiam Romae, typis mandatum est litteris, quae glagoliticae dicuntur. Quae cum difficiles sint lectu, Pius XI iussit novam editionem praeparare, quae typis Vaticanis anno 1927 perfecta est.

Lingua slavonica tempore SS. Cyrilli et Methodii viva erat. Quando iam non facile intelligibilis videretur, episcopi Croatiae a Summo Pontifice Urbano VIII petierunt ut Rituale Sacramentorum lingua vernacula publicaretur, quod factum est anno 1640 typis Sacrae Congregationis « de Propaganda Fide ». Recentissime anno 1932, Sacra Rituum Congregatio translationem Ritualis in linguam slovenicam adprobavit, cuius praeparationem Benedictus XV anno 1921 permiserat.

Quae dicta erant Venetiis anno 867 sanctis Slavorum apostolis et Romae iterata de tribus linguis sacris in Liturgia exclusive adhibendis, persuaserunt Pio XII, felicis recordationis, translationem librorum liturgicorum in linguam hebraicam permittere pro neophytis ex iudaismo in ditione Israelis.

Alia translatio Missalis latini non praetereunda, ea est quae vi decreti diei 26 mensis martii anni 1615 in linguam sinicam composita est. Fuit in Extremi Orientis partibus edita, sed, propter quaestiones inter missionarios, sine exitu. Exemplar saltem unum in Bibliotheca Apostolica Vaticana servatur.

Haec sufficiunt ad demonstrandum quod ex parte historiae nihil est obiciendum ne translationes librorum liturgicorum ritus romani in linguas vernaculas fiant. Dixi.

2

EM.MUS P. D. VALERIANUS CARD. GRACIAS
Archiepiscopus Bombayensis

Em.me Praeses, venerabiles Patres Concilii,

Super hoc schemate de Liturgia, in quantum respicit *solum vel* [1] praecipue vitam paroecialem, vitam liturgicam *Ecclesiae* [2] in terris Missionum, velim facere *has sequentes* [3] observationes:

1. In primis velim dicere hoc: denique tandem, quod plures inter nos, cum desiderio desideravimus, nunc in hoc schemate clare, et quidem rationibus validis, proponitur, ut a Concilio consideretur ac acceptetur; et Summi Pontificis approbationi subiciatur ut a Sancta Sede exsecutioni demandetur. Profecto, vox Ecclesiae in terris Missionum, quae iam

a multo tempore, non mere sonabat, sed instanter — quamvis cum moderamine — clamitabat, ut reformatio quaedam adaptata conditionibus nostris *fiat* [4] in re liturgica, certe *nunc* haud dici potest: vox nostra erat vox clamantis in deserto! Conventus seu congressus Liturgiae his praeteritis annis habiti, variis in locis, fructum suum nunc afferunt. Etenim, vere dici potest, et quidem cum magno gaudio, copiosa enim est messis patienter expectantium. Attamen, cum in nostris regionibus, conditiones ita variantur secundum provincias civilis circumscriptionis, linguas, modum vitae — tum materialis cum culturalis — ut opinor, esset necessarium, in hac *tam* [5] fluida sphaera Liturgiae — festinare lente. Nam oportet quod simus semper memores illius sapientis dicti in lingua gallica, scl. « illud quod est optimum potest esse interdum inimicum ei quod est mere bonum ». Et dixi festinare lente, non tamen tam lente ut possit dici de nobis: sicut erat in principio et nunc et semper et in saecula saeculorum! ...[6]

2. In n. 21, pag. 166 ...[7] hoc proponitur: « Ordinariis ... etc. ... maior concedatur facultas divinum cultum ordinandi ... etc., *actis a Sancta Sede recognitis* (cf. can. 291) ». Et *immediate post hoc,*[8] quia praesertim in Missionibus Liturgiae *aptatio difficilior* evadit, additur in n. 22, par. 1: « In Conferentiis episcopalibus, etc. ... sedulo et prudenter consideretur, etc. ... Aptationes ... Sanctae Sedi *proponantur, de ipsius consensu introducendae* ».

Venerabiles Patres Concilii, mihi videtur,[9] haec non sunt verba vacua, quia Conferentiis episcopalibus ...[10] facultas tribuitur ut necessaria praevia experimenta permittant et dirigant. *Sic* [11] proposita Conferentiarum episcopalium regionum Missionum facilius, ut credi potest, a Sancta Sede nunc acceptentur, quia, ut praevisum est, praesto erunt Sacrae Congregationi *Rituum* [12] viri simul in re missionali et liturgica periti, qui consulantur quando huiusmodi leges parantur (cf. n. 23 par. 3).

Sed [13] quaeritur a relatore, *em.mo praeside huius commissionis liturgicae,*[14] utrum sit discrimen inter duas has expressiones, nempe: *a*) « Actis a Sancta Sede recognitis », in art. 21, lin. 7 et lin. 8; *b*) « proponantur, de ipsius consensu introducendae », in art. 22, lin. 16 et 17.

Si sit discrimen substantiale, et non mere verbale, quaeritur ulterius qualis sit differentia; et si sit *differentia vel* [15] discrimen, *quaeritur quales rationes existunt pro hoc discrimine.*[16] Altera die, exc.mus secretarius Sacrae Congregationis Rituum in sua oratione posuit emphasim super hoc quod Conferentiae episcopali nationali relinquatur solum « *ut proponat* », sed iudicium relinquatur Sanctae Sedi. Certissime iudicium semper relinquitur Sanctae Sedi. Sed, ex hoc schemate eruitur quod propositum factum a Conferentia episcopali, et quidem ex man-

UNIVERSIDAD DE NAVARRA
BIBLIOTECA DE HUMANIDADES

dato, sit consideratum a peritis in re missionali et liturgica quos sacra Congregatio debet consulere quando proposita nostra considerantur et de his respondetur, ita ut expedite recipiamus responsum nostris propositis.

3. Cum verum sit quod quidam constanter firmiterque opinionem tenuerunt linguam latinam adhibendam esse in Liturgia, valde gratum est legere in n. 24 constitutionem existimare « ampliorem locum vulgato sermoni in Liturgia tribui », relinquendo Conferentiae episcopali « limites et modum *linguae vernaculae* in Liturgiam admittendae Sanctae Sedi proponere ». Et cum autem sub nota 46 refertur ad « Acta et documenta » (vol. II a pag. 391 usque ad pag. 428), *videtur:*[17] latitudo sat larga datur Conferentiae episcopali evolvere Liturgiam culturae et traditionibus populorum adaptatam.

Item quaeritur *ab em.mo praeside huius commissionis,*[18] qualis sit differentia, si sit differentia, in art. 24 inter expressionem « vulgatus sermo » et « lingua vernacularis ». Si nullum sit discrimen, cur non utatur eadem expressio?

Attamen, considerationi huius coetus vellem subiicere hanc emendationem, desideratam a pluribus *episcopis in terris missionum,*[19] uti propriam competentiae episcoporum ...[20] et eorum auctoritati, nempe: in art. 22, par. 1, lin. 15, in loco verbi « aptationes », ponatur expressio: « *aptationes maiores* »; in art. 22, par. 2, lin. 20, omittatur expressio « a Sancta Sede », et in loco vocabuli « tribuatur » ponatur vocabulum « *tribuitur* ». Talis emendatio, ut opinor, compleret facultatem quam velit schema dare episcopis *in terris Missionum.*[21]

4. Et dixi quod ego sum valde contentus supra hoc schemate, sed debeo addere, quod *equidem*[22] sentio linguam vernacularem esse permittendam solum tantum quod est necessarium pro illis partibus Missae quorum scopus est instructio populi. *Provisum est pro hoc in n. 41, in n. 91 et in n. (art.) 97, ubi sermo est de lingua vernaculari, de cantu vernaculari, de instrumentis indigenis qui possunt usurpari in Liturgia.*[23]

Iam per plures annos nos habemus in Indiis orientalibus, non solum cum licentia, sed etiam impulsu Sanctae Sedis, varia ritualia in linguis *vernacularibus,*[24] in linguis maioribus pure indianis (quarum numerus officialis est 14). His mediis nos possumus administrare quaedam sacramenta et peragere quasdam caeremonias integre in lingua vernaculari, exceptis forma et unctionibus, pro quibus oportet uti lingua latina. Et hoc quidem ut fideles habeant actuosam participationem in caeremoniis. Nostra experientia ostendit non solum fideles esse tali modo bene instructos, sed etiam amicos inter non-catholicos, qui saepe assistunt his caeremoniis, in eis posse participare modo intelligenti. Et

hoc, eo plus quia in eorum religionibus intelligunt nihil quod ministri dicunt, etiam illi qui sunt culti, quia apud *Hinduistas, exempli gratia, adhibetur lingua mortua Sanscrit,*[25] apud sequaces Zoroaster, i. e. Parsis, adhibetur *lingua mortua*[26] Avesta-Pahlavi. Apud eos conceptus religionis est quo plus caeremoniae sunt mysteriosae et inintelligibiles eo plus sentiunt *maiestatem Deitatis incognitae.*[27] Certissime inter nos catholicos, saltem apud excultos, nolumus quod eaedem conditiones praevaleant.

Ergo[28] si intentio Sanctae Sedis permittendo linguam vernaculam in ritualibus sit instructio fidelium, a pari intelligitur quod esset conveniens ut a Sancta Sede permittatur lingua vernacula saltem in illis partibus structurae sacrificii Missae quae intenduntur pro instructione fidelium. In hac materia argumento non historico, sed omnino pastorali, nos pastores, et non liturgistae, utimur.

Quidam arguunt quod hoc commodum potest obtineri si fideles utantur missalibus in lingua vernaculari. Contra hoc dico:

a) praesertim in nostris regionibus, maioritas fidelium est illitterata;

b) etiam quando fideles sunt litterati malunt audire quam legere; et hoc propter mentalitatem generationis modernae, sicut ego vidi variis in locis, tum in terris Missionum cum in Occidente. Proinde, mihi videtur, observationes factae heri ab em.mo card. Léger respectu Occidentis hodie dechristianizati, sunt valde propriae.

Praeterea, ad informationem illorum oratorum qui volunt omnimodo linguam latinam in Liturgia, dicerem mundum componi Occidentis et Orientis; et sicut dixit Pius XII, *piae recordationis,*[29] « Ecclesia universalis est neque Occidentis neque Orientis, sed utriusque ». Ideoque debemus esse attenti quod conclusiones huius sectionis non sint tales quae respiciunt praecipue conditiones vigentes in Occidente...[30]

Dicitur: si permittatur *lingua vernacularis,*[31] esset confusio propter numerum linguarum vernacularum. Non loquimur de dialectis quae abundant aeque in terris Missionum ac in Europa. Sed linguae vernaculae propriae, cum sua litteratura classica, sunt paucae, exempli gratia in Indiis orientalibus quae habent populationem 438 millionum, sunt fere viginti linguae vernaculae, plus minusve idem numerus ac in tota Europa; plus minusve unaquaeque provincia civilis in nostra regione est aeque ac unaquaeque natio in Europa. Si ergo desideratur usus linguae vernaculae in regionibus Europae, pari modo potest desiderari usus linguae vernaculae in variis provinciis alicuius continentis...[32]

Ergo[33] statuere hoc modo principia generalia concessiones dantia est quid longe melius quam stillatim concedere indulta particularia et

numerosa...[34] Ista valde sapiens, et a multo tempore desiderata, formulatio generalis modus agendi ex parte schematis, mihi videtur, debet satisfacere omnibus, qui multum laboraverunt pro congrua adaptatione in sacra Liturgia; et ex alia parte semel pro semper, ut spero, finem imponebit controversiis gestis in hac materia; quinimmo, terminabit interpretationes haud authenticas documentorum pontificalium ex parte aliquorum, sicuti nunc faciunt aliqui scriptores, *professores seminariorum* [35] in ephemeridibus catholicis.

Volebam dicere quaedam de concelebratione et de vestibus pontificalibus pro episcopis; sed, defectu temporis, mittam notam super haec subiecta.

Nos vidimus hodie pulcherrimum specimen concelebrationis et actiones et cantus et commentarium clarum et lucidum; videndo hoc spectaculum fortasse aliqui inter nos erant tentati transire a ritu latino ad ritum orientalem!

Sed circa vestes pontificales etiam provisum est pulcherrime et clare in hac constitutione, quando dicitur quod episcopi possunt considerare quales mutationes possunt fieri in vestibus pontificalibus.[36]

Card. Manning, qui in primo Concilio Vaticano partem haud parvam habuit respectu definitionis infallibilitatis Romani Pontificis, quando episcopos vestitos in purpuris indumentis in plateis videbat, iocose dicebat quod iam non solebat praedicare in parabolam « dives et Lazarus »!

Conclusio: His fundamentalibus principiis variis in numeris constitutionis formulatis, puto Ecclesiam in missionibus contentam iri, dummodo proposita quae Conferentiae episcopales Romae mittent expedite et sine mora considerentur...[37]

Liceat ergo mihi vobis commendare, *Patres Concilii,*[38] ut hoc schema acceptetur integre et in toto — ad maiorem profectum vitae paroecialis et liturgicae in terris missionum, *cum talibus emendationibus quas proposuerunt quidam oratores in his sessionibus.*[39] Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] deest. [3] quasdam. [4] deest. [5] deest. [6] Salva reverentia, et salvo meliore iudicio, non obstantibus iis quae sapienter dixit em.mus card. Ottaviani, quaeritur quonam iure dici potest quod schema est haud orthodoxum, vel laboret defectu verbositatis, cum secundum plures oratores in hoc schemate multa sunt pulcherrime dicta et clarissime praesentata. Nescio ergo, cur hoc schema debet subiici ulteriori studio et analysi commissionis fidei et morum. Si sunt expressiones quae non sunt sat clarae, haec deficientia potest faciliter eliminari. Memores simus quod schema de Liturgia non est tractatus theologiae. Ideoque modus exprimendi ideas necessario deberet esse diversus ac modus in theologia usurpatus, dummodo non sunt errores clari ex aspectu theologiae; donec non sit unanimitas inter theologos quoad expressiones, mihi videtur debet relinqui libertas peritis in Liturgia seligendi inter varios

modos exprimendi. Enimvero, dum tractatus theologiae leguntur praesertim a clero, et tunc clerus potest explicare fidelibus quod in libris theologicis continetur, tractatus vel dicta in Liturgia debent sic praesentari ut laici possint illa faciliter intelligere. [7] constitutionis *de S. Liturgia.* [8] deest. [9] deest. [10] a S. Sede. [11] deest. [12] deest. [13] deest. [14] deest. [15] deest. [16] cur? [17] deest. [18] deest. [19] deest. [20] in Missionibus. [21] deest. [22] ego. [23] e. g. Epistola, Evangelium etc., i. e. Missa catechumenorum. Circa alias partes, credo et firmiter credo, propter varias rationes, praesertim ex una parte propter unitatem fidelium inter se, et ex alia parte propter vinculum unitatis cum S. Sede, linguae latinae praeeminentiam dari debere. [24] vernaculis, e. g. in lingua anglica, et. [25] Hindos adhibent linguas mortuas, e. g. Sanskriticam. [26] deest. [27] fervorem religionis. [28] Arguo hoc modo: [29] deest. [30] In hoc Concilio sunt praesentes solum 40% ex Europa. [31] linguae vernaculae usus. [32] V. Si quis ultra velit habere probationem huius desiderii schematis, illam inveniet manifestatam in n. 41 constitutionis, in quo proponitur quod « linguae vernaculae in Missis cum populo congruus locus tribuatur » (cf. n. 24). Insuper, in n. 91 constitutionis facultas conceditur Conferentiae episcopali « proponere ut nonnulli cantus lingua vernacula peragi possint » etiam in liturgia solemni; et in n. 97, qui de musica sacra in Missionibus tractat, proponitur ut « huic musicae respectus debitus necnon locus congruus praebeatur » et « commendetur instrumentorum indigenorum ad usum liturgicum adaptatio, in quantum indoli cultus christiani respondeat ». Notandum est quod in nota 11, sub numero citato (nempe 97), haec habentur verba: « Quaedam Missae cum melodiis localibus iam conscriptae sunt in Africa, in Sinis, in India, instrumentis quoque indigenis comitantibus ». [33] deest. [34] Talia enim principia generalia probationes sunt ex una parte desiderii genuini S. Sedis nos in Missionibus adiuvandi, et ex alia parte competentiae episcoporum qui proposita constructiva facere certe possunt. Est verum quod per annos varia indulta in hac materia concessa sunt nobis in terris missionum. Occasione congressus habiti in Nijmegen (Hollandia) a. 1959, publicatus erat elenchus quasi omnium indultorum quae congregatio concessit variis dioecesibus. Sed experientia patet, hic modus agendi posset esse interdum causa alicuius confusionis; cum saepe accidit quod provincia ecclesiastica gaudet indultis largis et numerosis, et alia finitima huic provinciae habet nulla. In posterum, si hoc schema accipiatur a Concilio, erit coordinatio fundata in unitate, fulcita a Conferentia episcopali. Ideoque dixi: statuere principia generalia concessiones dantia, est quid longe melius quam stillatim concedere indulta particularia et numerosa. [35] deest. [36] loco « Volebam dicere ... pontificalibus. » legitur: VI. Dolendum est quod in n. 44 constitutionis principium concelebrationis ad duos casus, taxative, non exemplative inductos, restrictus est. Erunt enim alii casus in quibus concelebratio erit valde optabilis, e. g. non tantum « conventus sacerdotum », sed etiam conventus, congressus etc. (e. g. congressus internationalis eucharisticus) ubi adsunt multi sacerdotes; vel etiam in ecclesia cathedrali vel parochiali, in seminario, instituto aliquo religioso, occasione alicuius festi. Mihi videtur quod pro his et similibus casibus bene praevisum erit, si post verbum « Placet » ad finem lin. 3 n. 44, verba « e. g. » inserantur, ita ut casus in hoc numero adducti considerentur « exemplative » non « taxative ». – VII. Est in votis multorum episcoporum ut vestes pontificales simplificentur et conditionibus hodiernis aptentur. In n. 88 autem constitutionis de hac re specifice non tractatur. Sed in n. 87, et praecise in par. 2

n. 88, haec verba leguntur: « Episcoporum erit perpendere an in eorum forma, usu et ornatu aliquid sit mutandum vel tollendum ». Et quia refertur ad *Acta et Documenta Concilii, appendix voluminis II,* a p. 449 ad p. 453, his in paginis provisum est pro adaptatione et reforma in vestibus pontificalibus. In regionibus praesertim missionum, quaedam saltem adaptatio in vestibus pontificalibus admitti potest — causa tum temperiei cum mutationis in vestibus populi in formas simpliciores, praesertim in nationibus quae nuper independentiam politicam acquisierunt. [37] Usque huc non potuimus, ut ita dicam « novitates » introducere in hac non parvi momenti re de sacra Liturgia, quia nesciebamus quid putarent et dicerent auctoritates romanae. Sed nunc hoc sacrosanctum Concilium viam pandit sicque impulsum a multo tempore desideratum et quaesitum episcopis dat. Notandum est quod ex officio committitur Conferentiae episcopali in terris missionum hoc munus proponendi desideria in re liturgica. Sic admittitur quod Conferentia episcopalis non habet mere auctoritatem moralem, sed ex mandato Concilii stricte dictum officium agendi in hac re. Et cum iura et obligationes sint correlativa, sequitur quod Conferentia episcopalis gauderet etiam iure in hac materia promovendi aptationes liturgicas. In variis sessionibus commissionis centralis, notum erat nobis quod etiam in aliis materiis mens Concilii esset committere Conferentiis episcopalibus quaedam officia, quibus membra deberent incumbere. [38] deest. [39] deest.

Animadversiones additae:

N. 22 sic enuncietur:

22. [*Aptatio Liturgiae praesertim in Missionibus*]. Et quia in quibusdam regionibus, praesertim autem in Missionibus, Liturgiae aptatio difficilior evadit et magis urget:

1) In Conferentiis episcopalibus et in commissionibus liturgicis sedulo et prudenter consideretur quid, hoc in negotio, ex traditionibus ingenioque singulorum populorum opportune in cultum divinum admitti possit. Aptationes *maioris momenti* [1] quae utiles vel necessariae existimantur Sanctae Sedi proponantur, de ipsius consensu introducendae.

2) Ut aptatio cum necessaria circumspectione fiat, *quoties* [2] necessitas aut utilitas id exigit, Conferentiae episcopali a Sancta Sede facultas tribuatur [3] ut in quibusdam coetibus ad id aptis et per determinatum tempus necessaria praevia experimenta permittat et dirigat.

3) Quia leges liturgicae speciales difficultates in regionibus Missionum secum ferre solent, Sacrae Rituum Congregationi praesto sint viri simul in re missionali et liturgica periti, *ac apti ad iudicium ferendum de valore et momento, in regionibus de quibus agitur, novorum elementorum quae in Liturgia introducenda proponuntur,*[4] *qui consulantur quando leges circa aptationes maioris momenti parantur.*[5]

---

[1] *maioris momenti* est additio.

[2] loco « quoties » melius diceretur « pro casu quo ».

[3] Verba « a Sancta Sede » deleantur. Loco « tribuatur » scribatur « tribuitur » (scil. a Concilio).

[4] Verba linea subducta habeantur ut additio complementaria.

[5] Modificatio verborum « qui consulantur quando huiusmodi leges parantur ».

Rationes pro his emendationibus:

Ad 1) Quia difficile est explicare respectivo dicasterio S. Sedis singula momenta et omnes conditiones, praesertim si agitur de usibus non totius nationis, sed regionalibus. Et emendatio non proponitur pro causis maioris momenti. Obici potest quod sit difficile distinguere quid sint res maioris, quid res minoris momenti. Sed haec distinctio iam usitata est in iure ecclesiastico, simul ac « culpae graves » et « culpae leves » in ipso iure poenali Ecclesiae. V. g. « ... pro gravitate culpae puniatur ».

Ad 2) Agitur tantum de experimentis, quae, si sub vigilantia Conferentiae episcoporum fiunt, nemo facere potest proprio marte.

Ad 3) A peritis de quibus in hac paragrapho, requiritur non tantum cognitio rei missionalis et liturgicae, sed praesertim cognitio valoris et momenti rerum quae in Liturgia addi vel mutari debent, quae quidem variae sunt pro diversis regionibus. Nemo est qui iudicare potest de valore musicae sacrae omnium regionum in Oriente! vel de valore symbolorum reverentiae...

3

EM.MUS P. D. AUGUSTINUS CARD. BEA

Em.mi, exc.mi, rev.mi Patres Conciliares,

Liceat exponere brevissime duas *tantum* [1] res:

1. De coordinandis et coniungendis schematibus quae de eadem re, materia, *agunt.*[2]

De Liturgia *egerunt,*[3] ut ex commissione praeparatoria centrali constat, commissio de rebus orientalibus, commisio de missionibus et etiam secretariatus pro unione. Iamvero parum opportunum videtur, ut haec *omnia* [4] separatim tractentur, id quod periculum ferret, ne idem pluries, et fortasse, *propter differentiam temporis,*[5] etiam differenti modo tractetur.

Coordinatio, *quae videtur esse necessaria,*[6] duplici modo fieri posset: aut statim fiet *commissio mixta* ex membris supradictarum commissionum, quae conficiat schema in quo *omnia* contineantur quae de Liturgia agunt. Aut — *alio modo* [7] — interim commissio mixta, *de qua dixi,*[8] *agat* [9] tantum de capite primo (id est, de principiis et normis quae pro omnibus ritibus valent), *non tantum pro ritu latino.*[10] Singulae autem commissiones postea addent ea quae ad ipsarum ambitum pertinent, exclusis omnibus principiis generalibus *de quibus iam in prima parte actum est pro omnibus ritibus.*[11]

Erit em.morum Patrum cardinalium praesidentiae decidere quomodo hic (et in *multis* [12] similibus aliis casibus, *quos novimus optime ex commissione centrali*), *quomodo hic, ergo,*[13] procedendum sit.

2. De novis ritibus *instituendis.*[14] Pluries in hac disceptatione

facta est mentio novorum rituum. Haec quaestio, *venerabiles Patres,*[15] nunc *hodie* [16] non videtur *adhuc* [17] esse matura. Ni fallor, *id unum dicere possumus*: *nostrum* [18] Concilium nulli solutioni viam *praecludere* debet, quae a salute animarum, quae est summa lex ...[19] postulabitur. Motio oecumenica his ultimis temporibus maximos, *mirabiles possumus dicere,*[20] fecit progressus. Fieri potest ut quaestio novorum rituum aliquando, cum res maturae erunt, proponatur. Tunc quaestio decidenda erit ratione habita concretarum illarum circumstantiarum, de quibus hodie nondum possumus *decidere.*[21] Firmiter speramus Spiritum Sanctum eos illuminaturum esse quos *tunc* posuerit regere Ecclesiam Dei. Interim nos tantum orare et laborare possumus, ut momentum illud *desideratissimum* [22] adveniat et quantocius adveniat, non vero *debemus* [23] ullam portam claudere *illis solutionibus quae postea fieri possint.*[24] Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] tractant. [3] agunt. [4] deest. [5] deest. [6] deest. [7] deest. [8] deest. [9] aget. [10] deest. [11] deest. [12] deest. [13] qui plurimi sunt). [14] deest. [15] deest. [16] deest. [17] deest. [18] deest. [19] in rebus quae doctrinam non tangunt. [20] deest. [21] iudicare. [22] deest. [23] deest. [24] debemus.

4

EM.MUS P. D. ANTONIUS CARD. BACCI

Venerandi Patres Conciliares,

De lingua latina in sacra Liturgia.

Ne putetis me, utpote latinae linguae cultorem, nimium et exaggeratum esse fautorem linguae latinae in omnibus ritibus sacrae Liturgiae. Minime quidem; animo enim sum aperto ad intellegendas necessitates nostrorum temporum. Quam brevissime possum, sententiam meam, hac de re, vobis propono.

1. In Missae celebrationem, meo consilio, linguae nationales inducendae non sunt, tum quia id afferre potest grave periculum et damnum, tum quia id ipsum, quod omnes obtinere cupimus, hoc est maior populi participatio eucharistico sacrificio, et maior intellegentia audientium earum rerum quae a sacerdote leguntur, alio aptiore modo, *alio dico aptiore modo,*[1] obtineri potest.

Iam praeclarus vir Antonius Rosmini in suo libello « Le cinque piaghe della Chiesa » (De quinque plagis Ecclesiae) asseveravit linguam latinam diaphragma esse inter celebrantem et populum; sed libellus ab Ecclesia iam reprobatus est. Ac non modo Concilium Tridentinum

(Sess. XXII, cap. 8, can. 9), sed etiam Romani Pontifices sanxerunt ut in Ecclesia occidentali Missa celebraretur lingua latina, salvis semper ceteris linguis liturgicis Ecclesiae orientalis...[2] Memorare sufficiat Litteras Encyclicas Pii XII, de sacra Liturgia; et recentissimam *etiam*[3] Constitutionem Apostolicam *Veterum Sapientia* regnantis Pontificis.

2. Quod autem substituendo linguam latinam, vel partim, vel omnino in linguas nationales id ipsum assequi non possumus, quod nonnulli contendunt, facile probatur; *non assequitur id quod optatur.*[4]

Etenim per simplicem et nudam lectionem, lingua nationali factam, parum vel nihil intelligit populus, praesertim si agatur de rebus difficilibus, ut v. g. de Epistula ad Hebraeos, de lectionibus Veteris Testamenti, de libro Apocalypsis, etc.; quinimmo interdum, adolescentibus potissimum, dubia et turbamenta animi praeberi possunt, verbi gratia in lectione narrationis libidinosorum senum qui cum casta Susanna misceri volunt, et in locutione « Laeva eius sub capite meo et dextera illius amplexabitur me » (*Cant. cantic.* 2, 6; 8, 3). Quae quidem recta commentatione indigent, *non tantum nuda versione.*[5]

3. Quomodo ergo hoc diaphragma, *quod reapse existit,*[6] tollere possumus et hoc laudabile propositum assequi? Per homiliam vulgari lingua habitam, per catechesim ad populum, qua omnia opportune explanentur et ad intellegentiam populi accommodentur. Quod ceteroquin Summi Pontifices iam sanxerunt ac saepe saepius commendarunt. Nuda vero Sacrae Scripturae versio in linguas vulgares parum valet ad intellegentiam populi et ad eius pietatem fovendam. Hac eadem de causa versiones Sacrarum Scripturarum sine opportunis annotationibus, saltem pro populo, ab Ecclesia non probantur.

Praeterea hodie in usu venit Missale in nationales linguas conversum. Itemque, multo quidem laudabilius, in pluribus locis fit, ut dum sacerdos lingua latina Missam celebrat, annuntiator quidam probatus (anglica lingua, « speaker » dicitur) verba sacri ritus recitat vulgari lingua, cum opportunis animadversionibus ad captum populi accommodatis.

Minime igitur necessarium est linguas nationales in Missae celebrationem inducere, quod ceteroquin, ut proxime declarabo, gravissimum potius detrimentum afferre potest.

4. Etenim id quod *attingere*[7] quaeritur, *hoc est maior intellegentia ex parte populi, magis participatio,*[8] non modo hac ratione assequi non possumus, sed etiam facile inducuntur pericula, discrimina, contentiones in non paucis regionibus mixtae linguae.

Qua enim lingua, quae latina non sit, celebrabitur Missa, v. g. in Alto Adige seu Subtirolo? Quanam in quibusdam urbibus Helvetiae ubi

tres linguae in usu sunt? Quanam in Canadia (vulgo Canada) ubi lingua anglica et gallica in usu sunt? Quanam in partibus Belgicae nationis, ubi pariter duae linguae habentur? Etc. ...

Profecto hac ratione timendum est ne nationalismus et contentiones eius afferantur ad altare et *inferantur* [9] in eucharisticum sacrificium, quod quidem valde detrimentosum esse nemo est qui non videat; cum contra lingua latina, ut Summi Pontifices asserunt, vinculum esse debet unitatis; et si recte opportuneque, ut supra dixi, explanetur per homilias et catechesim —quod omnino oportet et ...[10] Summi Pontifices statuerunt — sacri ritus a populo intellegi possunt.

Vos igitur appello, venerandi Patres, ut rem tanti momenti intento consideretis animo, ne damnum Ecclesiae unitati inferatur.

5. Res diverso modo habetur, cum agitur de Sacramentis et de Sacramentalibus. Etenim dum in publica Missae celebratione res agitur inter populum et celebrantem, contra in quorumdam Sacramentorum administratione res agitur vel inter sacerdotem et unum tantum fidelem (ut in Confessione sacramentali), vel inter sacerdotem et paucos fideles plerumque eiusdem linguae, ut in Baptismate, *in* [11] Confirmatione, *in* [12] Unctione infirmorum, in Matrimonio et in sacramentalibus.

Iamvero in administrationem et in ritus quorumdam Sacramentorum, ut dixi, induci possunt etiam linguae nationales, probante tamen Apostolica Sede. Quod ceterum iam Pius XII iam scripsit, generali modo, in Encyclicis Litteris de sacra Liturgia (A.A.S., vol. 39, p. 545).

6. Mihi tamen opportunum esse videtur ut haec causa gravissima non relinquatur singulis Conferentiis episcopalibus peculiarum regionum (cap. 1, n. 24), sed statuatur modo unitario — *modo unitario* [13] — pro universa Ecclesia ab Apostolica Sede.

Etenim si res relinquitur inceptis et petitionibus Conferentiarum episcopalium, habebitur magna diversitas in variis regionibus, cum detrimento unitatis ac fortasse cum babelica confusione; idque idcirco etiam detrimentosum erit, cum hodie non modo catholici viri, sed sacerdotes etiam facile se conferant ex una ad alteram regionem, *ex una ad alteram nationem.*[14]

Haec habui, venerandi Patres, quae meditationi et prudentiae vestrae proponerem. Huc accedunt formulae quae meo quidem iudicio in hoc schemate substituendae sunt...[15]

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] Praeterea. [3] deest. [4] deest. [5] deest. [6] deest. [7] attingendum. [8] deest. [9] deest. [10] quod. [11] deest. [12] deest. [13] deest. [14] nationemque. [15] Cap. I n. 24: 1ª periodus permanet ut iacet. – 2ª periodus hoc modo reformetur: Cum tamen in

non paucis ritibus vulgati sermonis usurpatio valde utilis apud populum exsistere possit, amplior locus ipsi in Liturgia tribui poterit, cum approbatione tamen Apostolicae Sedis, ut v. g. in quorundam Sacramentorum et in Sacramentalium administratione; non tamen in ipso ritu Missae, qui a sacerdote peragitur. – 3ª periodus expungatur. Cap. II, n. 41 expungatur.

5

EM.MUS P. D. ALBERTUS CARD. MEYER
Archiepiscopus Chicagiensis

Em.mi, exc.mi ac rev.mi Patres,

Quae habeo dicenda iam ex parte ab em.mo Gracias paulo antea dicta fuerunt, sed ratione gravitatis causae duas has breves animadversiones nihilominus puto faciendas.[1]

Et quidem, primo loco, quoad linguam liturgicam, n. 24, pag. 167. Norma quae hic statuitur, ut mihi videtur, optima est. Exprimit, ut reor, veram *viam mediam* inter varias oppositas opiniones. *Nam* [2] haec norma loquitur de « ampliori loco tribuendo vulgato sermoni », relinquendo decisionem, primo, per modum commendationis, Conferentiae episcopali nationali, et secundo, et quidem definitive, Sanctae Sedi.

Certo certius, fideles multi *aliquid* in hac re a Concilio exspectant. Minimum, quod votis multorum satisfaceret, ut mihi videtur, esset amplior usus vulgati sermonis seu vernaculae in administratione Sacramentorum et Sacramentalium. Multi insuper vota ardentia expresserunt quoad certas partes Missae, quae imprimis lectiones, orationem communem et nonnullos cantus respiciunt, ut nempe etiam hae partes aliquo modo in vernacula habeantur. Attamen etiam inter ipsos *fideles,*[3] sicut et inter pastores eorum, datur varietas, quandoque magna, opinionum. Hinc aliqua *via media* invenienda est ad haec omnia meliori modo pastorali componenda. Norma quae hoc n. 24 statuitur mihi videtur talis via media.

Secundo loco, vellem ut n. 34, pag. 170, ubi agitur de commissionibus nationalibus, melius componatur cum n. 24. Nimia, ut mihi videtur, amplitudo potestatis hoc n. 34 commissioni liturgicae nationali tribui videtur. Verba, nempe, « *moderari* actionem pastoralem liturgicam in *universa* natione », *ut mihi videtur,*[4] nimis late patent. Sit semper *episcopus* in sua dioecesi *moderator* cuiuscumque actionis pastoralis liturgicae, sub moderamine Sanctae Sedis, et non sub moderamine alicuius commissionis nationalis! Habeantur utique tales commissiones ad studia

apta peragenda et ad media apta suggerenda, sed melius, ut mihi videtur, non *debemus loqui* [5] de potestate moderaminis ex parte talium commissionum, pro universa natione. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] Duas breves habeo animadversiones quoad hoc primum caput huius schematis. [2] deest. [3] deest. [4] deest. [5] loquamur.

6

Exc.mus P. D. PETRUS CANISIUS VAN LIERDE
Archiepiscopus tit. Porphyriensis

Patres venerabiles,

1. Paragraphus prima capitis primi sermonem instituit de sacrae Liturgiae natura eiusque momento in vita Ecclesiae.

Disquisitio de sacrae Liturgiae natura non semper logice *procedere videtur,*[1] neque omnia elementa sacrae Liturgiae primaria edicere...[2] Unde humiliter censeo novam disquisitionem circa sacrae Liturgiae naturam synthetice exarandam esse...[3]

Ad sacrae Liturgiae momentum in Ecclesiae vita quod attinet, desideratur clara adsignatio rationum inter sacram Liturgiam et vitam spiritualem. Argumentum utique magni ponderis! Ex hac enim clara adsignatione ultro eruitur et extruitur paedagogia spiritualis, pastoralis et catechetica ipsius sacrae Liturgiae, nostris temporibus tam consentanea, immo necessaria.

2. Relate ad sacram Liturgiae instaurationem schema propositum ubi adsignat normas ex natura communitaria et hierarchica sacrae Liturgiae (pag. 168-169), nullum quidem profert verbum circa aedituorum (id est sacristorum) existentiam, peculiare munus a « *ministrantibus* »[4] prorsus distinctum et sedulam institutionem.

3. Eodem loco praescriptio n. 28, quae sonat: « Solius hierarchiae est aliquid in Liturgia mutare », magis *forsan* [5] erit expendenda concrete et efficaciter ad permulta detrimenta expellenda quae hodie nonnullis in regionibus inveniuntur ex utriusque cleri arbitrio in caeremoniis ordinandis. Quae res apud christifidelium populum admirationem gignit et confusionem ingerit.

4. Praeter ea quae schema adfert de vita Liturgiae in dioecesi et in paroecia fovenda, quaedam normae addendae videntur circa sacrae Liturgiae instaurationem ceu apostolatum *communitarium* horum praesertim institutorum religiosorum quae ex propriis regulis a Sancta Sede iam adprobatis in sacra Liturgia fovenda peculiarem navant operam. Ex

Ecclesiae historia enimvero deducitur non paucas domos religiosas exstitisse simulque hodie exstare ferventis sacrae Liturgiae apostolatus focus, inspiratio atque constans incitamentum.

5. Praeter invocationem et venerationem Sanctorum perutile videtur nostris temporibus principia statuere quae Sanctorum reliquiarum originem, authenticitatem, venerationem et custodiam respiciunt, necnon sacrarum imaginum utilitatem et venerationem, compositionem et artem (cf. Conc. Trid., Sess. XXV, 3-4 dec. 1563).

6. In concelebratione sacramentali prudenter admittenda (schema pag. 176-177), simul videtur inculcanda necessitas omnibus in ecclesiis, oratoriis publicis et sacellis semper exstruendi altaria pro celebratione privata sufficientia. Propriis auribus moderatorem aliquem audivi hanc denegare necessitatem et quod — ut ille ait — Concilium Vaticanum Secundum concelebrationem in posterum iamiam instauraret.

7 *et ultimo.*[6] Prooemii textus edicit Sacrosanctum Concilium sibi proponere quidquid ad unionem fratrum separatorum cum Ecclesia quoquo modo conferre potest, fovere...[7] Absque dubio ubi bonus fiat spiritus sacra Liturgia pretiosa adducere valet adiumenta in schematis textu iam contenta, uti verbi gratia Sacrae Scripturae usus praesertim Psalmorum adprecatio et cantus; christifidelium participatio activa caeremoniis et actibus liturgici cultus; vernaculae linguae usus intelligens, linguae latinae usu in Liturgia occidentali harmonice servato.

Ast in schematis textu unum desideratur elementum meo humili sensu perutile: christifidelium videlicet catholicorum fratrumque separatorum communis conatus dies festos Domini etiam sub aspectu civili introducere in humanam societatem. Ut unum adferam exemplum: nonnullis in regionibus fratres separati feria sexta in Parasceven omnino ab operibus servilibus abstinent, tabernas quoque claudentes, dum christifideles catholici, e contra, materialibus defatigationibus eodem se devovent die. Alia ex parte, contigit christifideles catholicos pie solemniterque festum Corporis Domini celebrare, dum eodem die fratres separati operibus servilibus incumbunt. Non poterit, *quaeso humiliter,*[8] hoc in negotio utraque pars prudenter et efficaciter mutuo collaborare ad Dei notionem civili in societate divulgandam, Dominique dies festos publica et sociali adaugendos praestantia? Hic communis conatus multum conferre potest ad unionem fratrum separatorum iamiam *socialiter* fovendam absque ullo fidei detrimento.

Quod faxit Deus. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] procedit. [2] videtur. [3] in qua disquisitione perpendantur ea quae Dei naturam, hominis essentiam societatisque visibilis tum

Ecclesiae tum humanae communitatis characterem afficiunt ut S. Liturgiae genuina natura variique adspectus necnon subsequentium legum atque normarum nexus intimius perspiciantur. [4] munere « ministrantium ». [5] deest. [6] deest. [7] (Sententiam em.mi card. Michaëlis Browne heri edicentem vocem « in Ecclesia », substituendam esse voce « cum Ecclesia » reverenter accipio). [8] forsan.

7

Exc.mus P. D. IOANNES CAROLUS McQUAID
Archiepiscopus Dublinensis

Em.mi et exc.mi Patres,

Quo efficacius saluti consulatur immensae istius hominum turbae, qui antiquitatum liturgicarum non sunt, neque unquam futuri sunt, periti, quique tamen fidem fideique opera servaverunt et servant, episcopi Hiberniae una voce velint proponere ut post par. 27, versus finem, haec quae sequuntur addantur verba:

« Quae ab hoc Sacrosancto Concilio dicuntur de actuosa christifidelium participatione, praesertim quod attinet sacrosanctum Missae sacrificium, ita intelligenda sunt, ut nullo modo excludatur vel parvipendatur illa actuosa fidelium participatio, de qua scripsit in Litteris Encyclicis *Mediator Dei* Summus Pontifex Pius XII, felicis memoriae, nempe *pia mysteriorum Christi meditatio vel religiosa exercitia vel aliae preces* ». Dixi.

8

Exc.mus P. D. IOSEPH DESCUFFI
Archiepiscopus Smyrnensis

Em.mi et exc.mi ac rev.mi Patres Conciliares,

Quamvis in schemate de Liturgia optime multae statutae fuerint propositiones, attamen ad mentem Patrum Sacri Concilii, qui certe instructionem et aedificationem populi christiani fovere cupiunt in omnibus regionibus *terrae,*[1] liceat mihi iuxta usum linguae liturgicae, in n. 24, pag. 167, dispositionibus contentis, considerationi venerabilis coetus vestri aliquas animadversiones et *etiam* [2] adiunctiones submittere.

Propositio mea non erit disceptatio quaedam contra usum linguae latinae in Ecclesia, sed tantum *votum,*[3] petitio pro ampliatione *maiori* [4] facultatum iam concessarum et modesta suggestio ad maiorem acces-

sionem in usum linguarum nationalium in futuro ob novum ordinem rerum historice exstantem.

1. Cum Ecclesia *apostolica, catholica et* [5] romana merito, ex hac mutatione *rerum* [6] et imminutione usus linguae latinae dolere fas est, sed experientia quotidiana constat linguam latinam, etiam in Liturgia occidentali a populo vix intelligi. Quod damnum omnibus compertum est, *qui etiam in civitatibus labori apostolico ardue se applicant.*[7] Ecclesiae catholicae, scilicet universali, *oecumenicae,*[8] bono spirituali *fidelium nunc* [9] attendendum est *in novis temporibus.*[10]

2. Exinde *est ut* [11] in nationibus, etiam quae *nunc* [12] Liturgiam occidentalem sequuntur, iam nunc non desunt traditiones aut indulta pro usu solius linguae vernaculae in administratione aliquorum sacramentorum. Optandum foret has facultates omnibus concedendas esse sine restrictione *et difficultatibus.*[13]

3. Tertio: insuper dum ritus orientales *venerabiles* [14] lingua propria uti possunt in formulis sacramentalibus ipsis, quare Liturgia occidentalis, *romana,*[15] sola hoc privilegio carere et sola lingua latina affigi *debeat?* [16]

Temporibus antiquis lingua latina, graeca, slavonica (*tardius*) [17] et arabica erant linguae vernaculae in usu in Imperio Romano; nunc vero tempora mutata sunt. Iamdudum, post Medium Aevum, multae aliae nationes in orbe universo cum earum propriis linguis *nationalibus* [18] exstant, quibus in Liturgia aditum *ampliorem* [19] praebere debemus, si attrahere *ad nos, attrahere* [20] ad unionem Ecclesiarum alienos volumus, ita ut regnum Dei sit universale et ex omni lingua, populo et natione constet.

In die Pentecostes, omnes advenae *in Ierusalem in suo proprio idiomate* [21] audierunt magnalia Dei! *Eminentissimi et venerandi Patres,*[22] sit nobis, *viam inquirentes,*[23] divinum indicium et exemplum!

Inde in precibus et in administratione sacramentorum et sacramentalium, nullam linguam vernaculam excludi, sed omnes pariter sine violenta mutatione quidem, sed paulatim et continuatim, antiquis exceptionibus superatis et novo ordine rerum considerato, pro bono spirituali fidelium (*et non pro nationalismo*) [24] et religionis propagatione linguam vernaculam adhibere posse *valde* [25] optandum est.

Quare proponimus:

1. Ut licentiae in n. 22, pag. 166, Missionibus concessae, etiam regionibus Liturgiae occidentalis extendantur et amplientur, ita ut *non solum* [26] Conferentiis episcopalibus ibi habitis, et etiam episcopis, concedatur licentia ut transferantur in lingua nationali etiam textus sacramentales, *sicut in Liturgiis orientalibus,*[27] quidem si opus sit, dummodo

a doctis viris curata et ab Ordinariis approbata haec translatio Sanctae Sedi proponatur, ut de ipsius consensu, saltem nunc in Rituali romano *solo* [28] pro administratione sacramentorum et pro sacramentalibus in omnibus partibus et totaliter lingua nationalis adhiberi possit.

2. *Quoad Missam,* secundo, in cap. II, pag. 175, satis et sapienter provisum est. Attamen usum linguae vernaculae in textibus liturgicis etiam permitti posse opportunum esse nobis videtur. Fatendum vero est ut usus commentariorum in lingua vernacula *dum Missa protrahitur,*[29] quamquam opportunum remedium sit...

Praeses card. PLA Y DENIEL:

Advertendum non posse loqui de aliis capitibus; tantum de prooemio et de capite primo; postea loquetur suo tempore de aliis capitibus.

Orator:

... quamquam opportunum remedium sit contra ignorantiam linguae latinae, non solum *sic* [30] minuit dignitatem et praeeminentiam celebrantis, sed etiam perturbari potest celebrantes necnon fideles adstantes, qui in lingua sua propria directe et non per translatorem intelligere orationes et lectiones sacerdotis maluissent. Memorandum est in Liturgiis orientalibus, verba consecrationis ipsa, *ut hodie cum laetitia audivimus,*[31] in lingua vernacula, alta voce et cum cantu recitari. Quare in Liturgia occidentali hoc nefas esse videretur? Nonne cum hoc solemni ritu orientali aliqua similitudo optanda est? ...[32]

Finis:[33]

Quaeso veniam *ut, terminando,*[34] proferam dicta iam memorata *ab ore em.morum cardinalium*:[35] Liturgia propter homines et non homines propter Liturgiam.

Secundo: *in tempore actuali in regionibus etiam occidentalibus, in civitatibus, omnes hae regiones* [36] in statu missionum inveniuntur. Utinam usus linguae nationalis in omnibus partibus Ritualis romani, *saltem,*[37] iam nunc in administratione sacramentorum et sacramentalium adhibeatur ob ordinem rerum hodiernum, qui ampliabitur etiam adhuc in futuro, ita ut populus melius instruatur et aedificetur, et ad unionem attrahantur non solum fratres nostri *separati, sed etiam fratres nostri alieni,*[38] qui linguam latinam ignorant extra ovile Christi, et ita omnis lingua confiteatur scienter et cum rationabili obsequio laudes Domini, *laudem Dei* [39] et Redemptoris nostri Iesu Christi, qui est in gloria Dei Patris. [*Aliqui Patres*: Amen!].

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] deest. [3] deest. [4] deest. [5] deest. [6] deest. [7] deest. [8] deest. [9] deest. [10] deest. [11] deest. [12] deest.

[13] deest. [14] deest. [15] deest. [16] debet. [17] deest. [18] deest. [19] deest. [20] deest. [21] in sua lingua vernacula. [22] deest. [23] viae sequendae. [24] deest. [25] deest. [26] deest. [27] deest. [28] deest. [29] deest. [30] deest. [31] deest. [32] 3) De concelebratione tandem n. 44 d, pag. 177 addatur: « Et celebrans alta voce preces secretas dicat ». [33] Praecipua propositio mea haec est. [34] si. [35] deest. [36] In regionibus occidentalibus, civitates etiam. [37] deest. [38] dissidentes, sed omnes homines. [39] deest.

9

EXC.MUS P. D. ALEXANDER GONÇALVES DO AMARAL
Archiepiscopus Uberabensis

Em.mi Praesides, em.mi, exc.mi ac rev.mi Patres,

Mihi tria sunt puncta proponenda. Voluissem tamen, ante omnia, hic et nunc, significare meam maximam oboedientiam et reverentiam Sanctae Romanae Ecclesiae, quae est « una, sancta, catholica et apostolica ».

Primum punctum est quod sequitur: schema constitutionis *de sacra Liturgia* in cap. I, par. 1, ...[1] pag. 159, lin. 9, hoc enuntiat: « Ipsius namque humanitas, in unitate personae Verbi, fuit causa nostrae salutis ». Proponere audeo, maxima quidem cum reverentia, ut addatur vocabulum: « instrumentalis » verbo « causa » in loco citato. Sic esset enuntiatio: « Ipsius namque humanitas, in unitate personae Verbi, fuit causa *instrumentalis* nostrae salutis ».

Nam, sicut docet Angelicus doctor (*Summa Theologica,* pars III, q. 48, art. 5 et q. 43, art. 2 *c*), humanitas Domini nostri Iesu Christi est causa quidem nostrae salutis, sed causa instrumentalis tantum, quia causa efficiens principalis est ipsum Verbum Dei, quod caro factum est, Christus qui, per suam sacratissimam humanitatem, tamquam instrumentum, seu « sacramentum coniunctum » operatur humani generis salutem. Haec doctrina S. Thomae passim inveniri potest in quaestione 62, in art. 3, 4 et 5, sicut in quaestione 48, in art. 5 et 6, et quaestione 43, in art. 2, *Summae Theologicae.*

Disceptent et disputent theologi circa naturam huius instrumentalitatis, sive humanitatis Christi sive sacramentorum, quae sunt « instrumenta separata », utrum sit physica an sit moralis. De hac re non est hic disputandum; certum tamen est, et sine ulla dubitatione, instrumentalem esse *tantum* [2] hanc causalitatem. Per additionem supra propositam arctior et magis praecisus esset sensus verborum.

Secundum punctum est sequens:

In ipso capite, *par. 5*,[3] pag. 161 schematis, in lin. 9 sic legitur: « Licet sacra Liturgia non amplectatur totum ambitum actionis Ecclesiae, etc. ». Mihi si liceret, postulassem adhuc ut adiungeretur terminus « directe » verbo « non amplectatur ». Sic remaneret talis enuntiatio: « Licet sacra Liturgia non amplectatur *directe* totum ambitum actionis Ecclesiae, etc. ».

Ratio est quia indirecte totum ambitum actionis Ecclesiae revera amplectitur sacra Liturgia. Legitur enim in Encyclica *Mediator Dei et hominum*: « Sacra igitur Liturgia cultum publicum constituit, quem Redemptor noster, Ecclesiae Caput, caelesti Patri habet: quemque christifidelium societas Conditori suo et per ipsum aeterno Patri tribuit; utque omnia breviter perstringamus, integrum constituit publicum cultum mystici Iesu Christi Corporis, Capitis nempe membrorumque eius ».

Si sacra Liturgia, ut docet Pius XII, *felicissimae memoriae*,[4] est actio publica et officialis totius mystici Corporis Christi, cuius Caput, in ara Crucis, omnia traxit ad semetipsum: « Et ego si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad meipsum »; si actio publica et officialis totius corporis Christi Mystici est eadem actio publica et officialis, ipsius divini Redemptoris; si actio publica et officialis Christi continet omnia, ergo sacra Liturgia amplectitur, saltem indirecte, totum ambitum actionis Ecclesiae...[5]

Tertium punctum est circa linguam latinam in sacra Liturgia.

Mihi videtur opus esse servare linguam latinam in sancto Sacrificio, sicut in administratione sacramentorum.

Negare nemo potest principium: « Lex enim precandi, lex credendi est ». Verumtamen magna est distinctio, *magnum est discrimen*[6] inter magisterium et ministerium. Non est ergo idem tempus ministerii et tempus magisterii, quamvis in ministerio sit momentum dedicatum magisterio, in parte dicta Missa catechumenorum.

In hac parte, existimo valde fructuosum esse uti lingua vernacula in Epistola et in Evangelio tantum. In aliis autem partibus lingua latina servanda est. Sunt libri liturgici simul in vernacula et *in*[7] latina lingua. Si quis igitur voluerit — et hoc optimum est *et valde desiderandum*[8] — sequi Missam cum vera intelligentia sensus verborum, acquirat missale bilingue.

Non expedit converti ministerii tempus in tempus magisterii. Sit accurata praeparatio fidelium ante sanctum sacrificium; sic illud erit bene intellectum et vivum in fidelibus christianis, neque requiritur celebratio in lingua vernacula. Mihi videtur antipaedagogicum simul efficere et magisterium et ministerium. Sicut « pluribus intentus minor fit ad singula sensus », sic etiam pluribus intentus minor et minus vigens erit ad singula intellectus.

Quicumque voluerit simul efficere et magisterium et ministerium detrimentum affert sive magisterio sive ministerio.

Praeterea, ultima documenta Sanctae Sedis, ex. gr. *Veterum Sapientia, Mediator Dei, Allocutio* Pii Pp. XII occasione Conventus Internationalis de Liturgia pastorali, Assisii habiti, die 22 mensis septembris anno vero 1956 (*iuxta excerptum* [9] *Acta Apostolicae Sedis,* vol. 48, pag. 724),[10] valde clara et explicita sunt circa latinam linguam, quae est officialis in ritu latino, vinculum unitatis, signum et causa stabilitatis.

Nihil aliud habeo proponendum, nisi haec quae iam dixi.[11]

In textu scripto tradito: [1] n. 1. [2] deest. [3] par. 1, n. 5. [4] deest. [5] Martyrologium romanum, in vigilia D. N. I. C., rememorat Divinum Redemptorem, per mysterium Incarnationis, consecrasse mundum universum. Haec est sacra Liturgia in suo principio et in causa sua. Ergo totum ambitum actionis Ecclesiae amplectitur, indirecte, sacra Liturgia. [6] deest. [7] deest. [8] deest. [9] deest. [10] addita est pagina: « Ex allocutione Pii Papae XII, occasione Conventus Internationalis de Liturgia Pastorali, Assisii habiti, die 22 septembris a. 1956 (*A.A.S.* 1956 vol. 48, pag. 724). De la part de l'Eglise, la Liturgie actuelle comporte un soucis de progrès, mais aussi de conservation et de défense. Elle retourne au passé sans le copier servilement, et crée du nouveau dans les cérémonies elles-mêmes, dans l'usage de la langue vulgaire, dans le chant populaire et la construction des églises. Il serait néanmoins superflu de rappeler encore une fois que l'Eglise a de graves motifs de maintenir fermement dans le rite latin l'obligation inconditionnée pour le prêtre célébrant d'employer la langue latine, et de même, quand le chant grégorien accompagne le saint Sacrifice, que cela se fasse dans la langue de l'Eglise ». [11] deest.

10

Exc.mus P. D. GILBERTUS RAMANANTOANINA

Archiepiscopus Fianarantsoaënsis

Em.mi, exc.mi ac rev.mi Patres,

Ad n. 16 schematis Liturgiae, ego Gilbertus Ramanantoanina, archiepiscopus de Fianarantsoa, nomine proprio et nomine episcopatus totius Africae et Madagascar et aliarum insularum, scilicet trecentorum circiter episcoporum censeo adhibendum esse, in exarandis potissimum huiusmodi libris liturgicis, consilium peritorum, ex toto orbe selectorum, idque penitus esse necessarium ut ipsi revera culturam diversarum regionum Africae et Madagascar bene cognoscant.

Idque, tum ob multas alias causas necessarium esse duco, tum potissimum quia debemus cuiusvis generis genuinae et humanae culturae

possibilitatem dare sese integrandi in patrimonium universale Ecclesiae, ut constat ex perenni traditione a primaevis temporibus vigente.

Textus scripto traditus:

Ad n. 16 schematis Liturgiae ego Gilbertus Ramanantoanina, archiepiscopus Fianarantsoa (Madagascar), nomine proprio et in nomine episcopatus totius Africae et Madagascar et aliarum insularum scilicet circa trecentorum episcoporum, in exarandis huiusmodi libris liturgicis nos quoque censemus ope peritorum uti, ex toto orbe selectorum et speciatim illorum qui revera culturam diversarum regionum Africae vel Madagascar bene cognoscunt penitus necesse esse.

Et ratio est inter multas alias quod debemus cuiusvis generis genuinae et humanae culturae possibilitatem dare integrari in patrimonio universae Ecclesiae, ut constat ex perenni traditione a primaevis temporibus vigenti.

Ad n. 24 schematis: Episcopi continentis Africae, Madagascar et insularum non dubitant de vero sensu expressionis « in liturgia occidentali » quae in textu schematis invenitur; distinguitur enim liturgia occidentalis ab illis quae in Oriente christiano florent. Attamen, datis hodiernis circumstantiis ex emancipatione politica populorum Africae exortis, vocabulum « occidentali » auribus plurimorum eorum evocat tempora peracta et Ecclesiam nimis connecta videtur cum cultura et historia populorum europae occidentalis. Ergo vocabulum deleatur et ex n. 20, nomen ritus romani et rituum affinium proponitur.

Ad n. 24 schematis de usu linguae vernaculae: Episcopi continentis Africae, Madagascar et insularum, quamvis usum linguae latinae servare omnino intendant, tamen maximi momenti existimant usum linguae vernaculae in iis Liturgiae partibus quae ad populum dirigunt. Ratio praecipua est quod usus linguae vernaculae in istis Liturgiae partibus ad meliorem et actuosam populi participationem et ad aptiorem magisque fructuosam efformationem religiosam inserviet. Etenim Liturgia vernacula lingua celebrata naturaliter fiet optima expressio culturae eorum christianae: ita enim sensu et doctrina Sanctae Missae, Sacramentorum et divini Officii mentem eorum facilius attingent, memoriae melius retinebuntur, vitam et culturam eorum intimius penetrabunt.

Ad n. 24: Episcopi continentis Africae, Madagascar et insularum proponunt ut in fine eiusdem numeri schematis eadem formula adhibeatur quae feliciter in numero 21 adhibita fuit, et sic dicatur:

Sit vero Conferentiae Episcopalis in singulis regionibus, etiam, si casus ferat, consilio habito cum Episcopis finitimarum regionum eiusdem linguae, limites et modum linguae vernaculae in Liturgiam admittendae *statuere,* actis a Sancta Sede recognitis.

11

EXC.MUS P. D. ADAM KOSLOWIECKI
Archiepiscopus Lusakensis

Em.mi, exc.mi, rev.mi Patres,

Primum, pauca verba dicere mihi liceat circa art. 3, cap. I, pag. 160. Dictum est:[1]

« Ad tantum vero opus perficiendum, Christus Ecclesiae suae semper adest, praesertim in actionibus liturgicis, ipse qui promisit: " ubi sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum " (*Mt.* 18, 20). *Ipse est qui loquitur* dum verba Sacrae Scripturae in Ecclesia leguntur et explicantur; qui laudes Deo Patri indesinenter persolvit; qui opus salutis, quod degens in terra patraverat, in Sacramentis pergit; *ipse denique nunc in Sacrificio Missae se offert* sacerdotum ministerio qui seipsum tunc in Cruce obtulit ».

Puto haec verba clarificatione aliqua indigere quoad *modum* praesentiae Christi quando duo vel tres in nomine eius congregantur, quando verba Sacrae Scripturae in Ecclesia leguntur et explicantur et quando denique in sacrificio Missae se offert... Christus alio et alio modo in unaquaque ex tribus supra enumeratis occasionibus praesens esse dici potest et debet.

Ideo censeo haec verba schematis, quae evidenter ex Encyclica *Mediator Dei* deprompta sunt, sed deinceps sat liberaliter mutata, melius hic introduci posse et debere in originali eorum forma. Hoc enim non tantum cohaerentia schematis cum magisterio Pii XII, *felicis memoriae,*[2] clarius exprimitur, sed etiam, uti oportet, sufficienter et secundum ordinem dignitatis indicatur alius et alius modus quo Christus in sacra Liturgia praesens est.

Propono ergo ut verba schematis substituantur sequentibus verbis Encyclicae *Mediator Dei*:

(Ad tantum vero opus perficiendum,) « in omni actione liturgica una cum Ecclesia praesens adest divinus eius Conditor; praesens adest Christus in augusto altaris Sacrificio, cum in administri sui persona, tum maxime sub eucharisticis speciebus; praesens adest in sacramentis virtute sua, quam in eadem transfundit utpote efficiendae sanctitatis instrumenta; praesens adest denique in Deo admotis laudibus ac supplicationibus, secundum illud: " Ubi enim sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum " ».

Haec sunt verba ex Encyclica *Mediator Dei* (*A.A.S.*, 39 [1947], p. 528).

Secundo: *nimia verba non volo dicere circa art. 24, tam multa iam dicta sunt; ergo tantum gratitudo mihi exprimenda est, praesertim em.mo card. Tisserant, pro eius lucida explanatione positionis linguae latinae in Ecclesia Catholica; actionem gratiarum volo exprimere em.mo card. Bea, qui clare dixit*: « *Diversas adesse opiniones, sed unum tantum petitur, ne porta claudatur* ».

Liceat mihi dicere, sicut iam dictum est, nos saepe audire linguam latinam esse linguam Ecclesiae catholicae.[3] Sed rogandum est utrum sola lingua latina sit lingua Ecclesiae catholicae. Quid de lingua graeca, quid de syriaca, arabica, *slavonica, et* [4] quid de linguis modernis? Attendendum nobis est, ne laudes linguae latinae cantando, alias linguas et quidem linguas liturgicas offendamus.

Optandum etiam est ne pondus argumenti « unitatis » exaggeretur. Utrum auderemus dicere christianos, qui lingua latina in Liturgia non utuntur, et qui pro fide sua et pro unitate Ecclesiae tam multa passi sunt et adhuc patiuntur, minus Ecclesiae catholicae unitos esse? *Ego sum catholicus, illi sunt catholici; timeo ne illi meliores catholici sint quam ego.*

Nos petimus tantum ut nobis facultas daretur et non singulis episcopis, sed Conferentiis episcopalibus. Et ego possum dicere: si haec facultas daretur linguas alias inducendi, ego certe in mea dioecesi linguam latinam retinebo, sed propter rationes practicas. Velim dicere me favere ut aliquibus saltem in partibus Liturgiae ritus romani servetur lingua latina, sed propter rationes practicas ex conditionibus hodiernis oriundas. Sed censeo in constitutione, quam ante oculos nostros habemus, absolute evitandum esse ut linguae latinae positio quasi privilegiata, ob inadaequatas rationes et multo minus ob quoddam quasi principium, tribuatur.[5]

Unitas in Ecclesia et inter omnes homines fovenda est, sed vera unitas solidius habeat fundamentum oportet, quam solum linguam liturgicam. Hoc fundamentum est conscientia nos omnes unum corpus esse in Christo, cuius unitas servatur lege suprema et mandato primo et maximo, scl. mandato amoris et caritatis. Unitas linguae liturgicae *in Ecclesia occidentali* [6] unitatem veram, unitatem cordium non gignit, sicut bella atrocissima huius saeculi probant.

Tandem, in *prooemio* huius schematis dicitur: « Sacrosanctum Concilium sibi proponit, etc. ... quidquid ad unionem fratrum separatorum in Ecclesia quoquo modo conferre potest, fovere ». Quaerendum nobis est utrum nimia insistentia in usu linguae latinae ad unionem fratrum separatorum revera conferat. *Liceat mihi adducere hic verba ex Actibus Apostolorum post primum concilium oecumenicum Hierosolymitanum*

dicta: « *Visum est enim Spiritui Sancto, et nobis, nihil ultra imponere vobis oneris quam haec necessaria*: *ut abstineatis vos ab immolatis simulacrorum, et sanguine, et suffocato, et fornicatione, a quibus custodientes vos bene agetis* ». *Ne imponamus onera alia nisi tantum onera necessaria.*[7]

Tandem, in toto schemate, praesertim in art. 21, pag. 166, versu 8, versu 16, in art. 24, videtur mihi evitandam esse expressionem, in quantum possibile est, expressionem [8] « Sedes Apostolica », quia haec expressio non satis clara *est,*[9] immo abusui obnoxia est. Puto meliorem fore claram expressionem « Romanus Pontifex », aut, *si aliquibus placet,*[10] « Suprema Sacra Congregatio Sancti Officii », « Sacra Congregatio de Disciplina Sacramentorum », etc.

Nimis frequenter sub nomine « Sedes Apostolica », aliquis etiam minoris momenti officialis alicuius Congregationis se tegit, et nescitur quae sit auctoritas aliquorum documentorum, epistolarum, responsuum nomine Sedis Apostolicae aut Sanctae Sedis datis. *Ego sum successor fortasse Bartholomaei, auctoritatem Petri admitto, auctoritatem Petri non timeo, sed aliquando peto*: *quaenam est auctoritas Secretarii Petri?* [11]

In textu scripto tradito: [1] Cap. I ad 3 haec verba habet. [2] deest. [3] Prius dicere velim me favere desiderio ut lingua latina in aliquibus partibus Liturgiae ritus romani servetur et quidem tum ob traditionem huius ritus tum ob rationes practicas ex condicionibus hodiernis oriundis. Attamen censeo in constitutione absolute evitandum esse ut linguae latinae positio quasi privilegiata ob inadaequatas rationes et multo minus ob quoddam quasi principium tribuatur. Saepe auditur linguam latinam linguam Ecclesiae catholicae esse. [4] et slavonica? [5] deest. [6] in Occidente. [7] deest. [8] In schemate evitetur, in quantum potest, expressio. [9] deest. [10] deest. [11] deest.

12

Exc.mus P. D. PETRUS PARENTE

Archiepiscopus tit. Ptolemaidensis in Thebaide

Venerabiles Patres,

Quamvis non pauca de integro schemate, modo generico, dicta sint, aliquid addere audeo antequam de quibusdam naevis prooemii et primi capitis loquar.

Schema, salva reverentia, verbositate et quadam levitate mihi laborare videtur, etiam cum gravia argumenta tangit. Insuper de Liturgia Ecclesiae sermonem coarctat ad ritum latinum et quidem usque ad mi-

nuta descendens, multa autem dicuntur incompte, exaggerate et aliquando etiam incohaerenter. Quae omnia stylo proprio Concilii Oecumenici congruere non videntur, nam tale Concilium quae sunt altiora ac potiora, concinna ac digna forma dicendi statuere et proferre solet, quod valet etiam de aliis schematibus, quibus nimia materia congesta est. Videant sapientiores an totum schema ad aptiorem formam redigere conveniat, quod quidem ego maluerim.

Nunc ad partem propositam quod spectat haec animadvertenda putaverim:

1. *Prooemium*: iam prima pericopes claudicat: etenim Liturgia recensetur inter « institutiones ecclesiasticas obnoxias mutationibus », quod non est omnino verum, cum Liturgia — utinam fuisset expressa quaedam definitio Liturgiae — cum Liturgia sic generatim dicta, multa complectatur quae immutari nequeunt, sicut, exempli gratia, essentialia sacramentorum.

Deinde plus aequo extollitur Liturgia, cum dicitur Ecclesia per Liturgiam ipsam, esse quasi « signum levatum in nationibus », quod Concilium Vaticanum I aliis et aliis motivis adscribit, praesertim regimini Ecclesae, unitati catholicae Ecclesiae, quae non dependet tantummodo a Liturgia.

Praeterea dum Concilium protestatur se, fidelem traditioni, omnes vigentes ritus servaturum, eodem tempore eorum instaurationem molitur, quasi ex integro.

Totum huiusmodi prooemium innocue omitti posse opinor.

2. *Quoad cap. I*:

N. 1 (pag. 159). Revera iam praeventus sum a meo praedecessore, qui videtur quasi furatus esse obiectionem meam, sed fortasse bonum est aliquid addere quoad functionem humanitatis Verbi in ordine ad Redemptionem peragendam.

Quod dictum est, bene dictum est, nempe non humanitas per seipsam esse causam nostrae salutis. Verum est quod additur: « in unitate personae Verbi », sed hoc non sufficit. Non in obliquo hoc dicendum est, in recto dicendum est: Verbum est causa nostrae salutis humanitate sua assumpta. Dictum est a meo praedecessore esse inserendum verbum: « in causam instrumentalem ». Fortasse hoc non convenit Concilio, eo vel magis quod sunt discussiones inter theologos, sed tota res absolvi potest hoc modo, proponendo hanc emendationem: « Verbum enim per humanitatem sibi hypostatice coniunctam causa fuit nostrae salutis ». Et tunc, nulla difficultas.

N. 6, pag. 161, lin. 28 legimus: « ... qui fidem receperunt et poenitentiam egerunt, filii Dei fiant per Baptismum ». Iamvero, ante Bapti-

smum, nonnisi *actus* fidei possibilis est, sed ibi verba: « receperunt fidem », evidenter suggerunt *habitum* fidei, qui quidem gratiam sanctificantem supponit, ex qua etiam profluit et quacum per Baptismum infunditur. Unde inepte dicitur.

Adhuc n. 6, lin. 35: « Ex liturgia ergo, praecipue ex Eucharistia... gratia nobis derivatur et maxima cum efficacia obtinetur illa in Christo hominum sanctificatio ». Obscura et ambigua propositio; nam christifidelis sanctificari potest non assistendo celebrationi liturgicae, sed Sacramentum Poenitentiae et Eucharistiae suscipiendo.

Proinde emendetur — ad evitandas aequivocationes — emendetur textus hoc modo: « Ex liturgia ergo, praecipue ex Eucharistia rite suscepta... etc. » fideles sanctificantur.

N. 11, pag. 163: Liturgia inter disciplinas principales habenda dicitur. Transeat! Sed deinde ipsa theologia dogmatica Liturgiae subicienda exhibetur, dum e contra Liturgia dependet a dogmate, cuius est expressio.

N. 16: « Libri liturgici recognoscantur, peritis ex universo orbe adhibitis ».

Libri liturgici, quibus cultus divinus statuitur, Romani Pontificis nutui subiacent, cum cultus divinus sit elementum universale et essentiale religionis, atque dogmata fidei necessario includat.

Postea, de lingua latina. Sed iam multa dicta sunt, nolo taedio afficere, sed opportunum puto hoc addere: nempe Sanctum Officium (contra quod multa proferuntur, non semper aequo animo, neque semper bene agnoscentes..., bene agnita methodo S. Officii, et nos qui sumus martyres S. Officii — non sunt rei accusati, sed nos, nos sumus martyres S. Officii — bene novimus quanto labore, quanta diligentia, quanta prudentia perpendantur res et dantur monita, decreta, etc.) bene! dico: Sanctum Officium, consentientibus Sacris Congregationibus Rituum et Ecclesiae Orientalis, iam a non paucis annis, plusquam a decennio, plura concessisse in hac materia, quoad usum linguae vernaculae, tum in parte didactica sacrificii Missae, tum amplius in administratione sacramentorum non tantum in regionibus missionalibus, verum etiam alibi. Nolo taedio afficere, sed habeo elenchum concessionum aliquarum. Sancta Sedes igitur non immobilismo haeret, sicut quidam dictitant, sed pedes movet maxima tamen cum cautela, uti decet in re gravissima.

Novatores cautelam addiscant ex stylo S. Sedis, quae traditionem iure tuetur, at vias novas inire consuevit, maxima cum prudentia et pacato animo, pacatis nervis.

Arma diriguntur contra linguam latinam, sed pervipenduntur pericula versionum in exprimendis altissimis conceptibus dogmaticis, sicut

iam dictum est; periculum abrumpendi unitatem familiae christianae, saltem in maiori parte mundi. Ac denique minime perpenditur ista ratio potissima: lingua latina, sicut aliae linguae liturgicae admissae et probatae, praecise quia transcendunt linguam vernaculam, apta sunt ad fovendum sensum mysterii, praesertim in celebratione Missae. Ascetae ac psychologi bene compertum habent quam efficacem influxum exercere valeat ille sensus mysterii in extollendis animis ad divina.

Ne igitur praepropere curramus, sed, iuxta morem Ecclesiae, lento pede procedamus et quidem non secundum arbitrium privatum, sed secundum iudicium Sanctae Sedis.

Textus scripto traditus:

Quamvis non pauca de integro schemate, modo generico, dicta sint, aliquid addere audeo antequam de quibusdam naevis prooemii et capitis I loquar.

Schema, obiective consideratum, verbositate et quadam levitate laborat, etiam cum gravia tangit argumenta. Nescio cur, de Ecclesiae Liturgia agendo, ad solum ritum latinum coartet sermonem et quidem ad particularia ac minima plus aequo descendens. Multa quoque dicuntur incompte, exaggerate, incohaerenter. Quae omnia stylum Concilii Oecumenici proprium dedecent, cum talia Concilia quae sunt altiora ac potiora concinna ac digna forma dicendi statuere ac proferre soleant. Haec quidem animadversio pro aliis quoque schematibus valet, in quibus nimia materia congesta est. Videant sapientiores an totum schema ad aptiorem formam redigere conveniat, quod quidem ego maluerim.

Nunc vero ad partem propositam quod spectat haec animadvertenda censeo:

I. *Prooemium.* Iam prima pericopes claudicat: etenim Liturgia recensetur inter « institutiones ecclesiasticas obnoxias mutationibus », quod non est omnino verum, cum Liturgia, praeter res ecclesiasticas, non paucas res divinas complectatur, quae immutari nequeunt, utputa Sacramentorum essentialia.

Deinde nimis extollitur Liturgia, cum Ecclesia per Liturgiam esse dicitur « signum levatum in nationibus », quod Concilium Vaticanum I aliis et aliis motivis adscribit (D. B. 1794).

Praeterea dum Concilium protestatur se, fidelem Traditioni, omnes vigentes ritus servaturum, eodem tempore eorum instaurationem ac multiplicationem molitur.

Totum huiusmodi prooemium innocue omitti posse opinor.

II. *Quoad Caput I.*

N. 1. (pag. 159) lin. 8 opus redemptivum inepte exhibetur his verbis: « Ipsius (Christi) namque humanitas, in unitate personae Verbi, fuit causa nostrae salutis ». Causa principalis nostrae salutis fuit Verbum, utique per suam humanitatem tanquam per instrumentum. Solemne est in Theologia dogmatica unicum auctorem efficientem gratiae sanantis et sanctificantis (qua Redemptio actuatur) esse Deum, non vero creaturam nisi instrumentaliter. At, seposita terminologia theologica de causa instrumentali, propositio sic corrigi potest: « Verbum enim per humanitatem sibi hypostatice coniunctam, causa fuit nostrae salutis ».

N. 6 (pag. 161) lin. 28 legimus: « ... qui fidem receperunt et poenitentiam egerunt, filii Dei fiant per Baptismum ». Iamvero hoc solummodo adultos respi-

cit et tamen in istis nonnisi *actus* fidei dari potest ante Baptismum susceptum; sed verba « receperunt fidem » *habitum* fidei evidenter suggerunt, qui quidem gratiam sanctificantem necessario proponit, ex qua profluit et quacum per Baptismum infunditur.

N. 6. lin. 35: « Ex liturgia ergo, praecipue ex Eucharistia... gratia nobis derivatur et maxima cum efficacia obtinetur illa in Christo hominum sanctificatio ». Obscura et ambigua propositio; nam fidelis sanctificari potest non simplici assistentia in celebratione liturgica, sed sacramenta Poenitentiae et Eucharistiae suscipiendo.

Emendetur igitur propositio hoc modo: « Ex Liturgia ergo, praecipue ex Eucharistia rite suscepta etc. ».

N. 11 (pag. 163): Liturgia inter disciplinas principales habenda dicitur ac deinde ipsa Theologia dogmatica Liturgiae subiicienda exhibetur, dum e contra Liturgia a dogmate, cuius est expressio, dependet.

N. 16: « Libri liturgici recognoscantur peritis ab universo orbe adhibitis ».

At libri liturgici, quibus cultus divinus statuitur, Romani Pontificis nutui omnino subiacent, cum cultus divinus elementum sit universale et essentiale religionis atque dogmata fidei necessario includat. Romanus Pontifex S. C. Rituum utitur, in qua sunt periti etiam variis nationibus oriundi.

N. 24. *De lingua latina.* Cum multa dicta fuerint, saltem hoc unum revocare velim, nempe S. Officium, contra quod multa dictitantur non semper aequo animo, iam a non paucis annis, consentientibus SS. CC. Rituum et Ecclesiae Orientalis, plura concessisse in hac materia quoad usum linguae vernaculae tum in parte *didactica* Sacrificii Missae, tum amplius in Sacramentorum administratione non tantum in regionibus missionum, verum etiam alibi. S. Sedes igitur non *immobilismo* haeret, sed pedes movet, maxima tamen cum cautela, uti decet in re tam gravi.

Novatores anxii cautelam addiscant ex stylo S. Sedis, quae traditionem iure tuetur, at vias novas inire non dedignatur, cum debita prudentia et pacato animo. Ianua vigilanter panditur! Qui arma dirigunt contra linguam latinam ne parvipendant pericula versionum in rite exprimendis conceptibus dogmaticis altissimis; periculum abrumpendi familiae christianae unitatem; atque denique istam rationem perpendant: lingua latina, sicut ceterae linguae liturgicae classicae, etiamsi non intelligatur a populo, imo praecise quia linguas vernaculas transcendit, apta est ad sensum mysterii fovendum, praesertim in celebratione Missae. Ascetae et psychologi bene norunt quam efficacem influxum ille sensus mysterii exerceat in animis ad divina extollendis.

Ne igitur praepropere curramus, sed, iuxta morem Ecclesiae, lento pede procedamus et quidem non secundum arbitrium privatum, sed secundum iudicium S. Sedis.

Concilium ne descendat ad particularia, sed sobrie innuat possibilitatem alicuius innovationis, episcopis proponentibus et S. Sedis organis decernentibus.

13

Exc.mus P. D. DINUS STAFFA

Archiepiscopus tit. Caesariensis in Palaestina

Venerabiles Fratres,

Initio prooemii,[1] pag. 157, lin. 5, *legitur* [2] Sacrosanctum Concilium unionem fratrum separatorum fovere « quoquo modo ». Quaeritur: etiam cum veritatis et fidei damno? Quia enixa voluntas Ecclesiae favendi reditui fratrum in domum communem, iam per verbum « quidquid » est sufficienter expressa, censeo verba « quoquo modo » esse delenda.

Forte in animo fuit auctorum schematis his verbis praesertim innuere introductionem linguarum vulgarium in sacram Liturgiam, sicut alii putant usum earumdem linguarum esse necessarium ad alliciendos fideles. Si vere lingua vulgaris est necessaria ad alendam pietatem fidelium, qui secus ecclesias deserunt, si linguae vulgaris usus omnino requiritur ad actuosam et fructuosam participationem sacrae Liturgiae, concludendum est, non tantum in lectionibus et aliis partibus, sed et in Canone et Consecratione linguam vulgarem esse adhibendam. Logica enim postulat ut integro Sancto Sacrificio, praesertim eius culmini, id est Consecrationi, fideles fructuose participent, verba intelligendo. Qui ergo principium allatum profitetur, haec consectaria aperte admittat, illa animi sinceritate quae *omnino requiritur* [3] in conspectu Dei et Ecclesiae.

Ignoscite, Venerabiles Fratres, si hac sinceritate imprimis ego utor, dicens me vidisse ecclesias populo confertas — exempli gratia, in Statibus Foederatis Americae Septemtrionalis — ubi tota Missa in lingua latina celebratur, dum in ecclesiis *rectis a quibusdam veteribus praecursoribus* [4] reformationis liturgicae, id malo fato non accidit.

Illis proinde adhaereo, qui sedulo considerandum censent num fidelium actuosae participationi sacrae Liturgiae revera prospici nequeat sive lectionum idoneis versionibus, et explicationibus, sive, immo potissime, apta et frequenti ac diligenti instructione fidelium sine qua etiam lingua vulgaris parum aut nihil prodesset. Hoc modo, et forte tantum hoc modo, in sua inaestimabili efficacitate, ...[5] servatur thesaurus musicae liturgicae, pro verbis latinis compositae, cui secus valedicendum videretur...[6]

Additur sacram Liturgiam esse aptandam mutatis temporibus et circumstantiis. Hic quoque ad consectaria debemus attendere: mores enim, immo vultus ipsius societatis, hodie praesertim, celeriter mutat et cele-

rius mutabitur; quod placitis multitudinis hodie videtur consentaneum, post triginta vel ad summum quinquaginta annos iam apparebit incongruum; concludendum ergo esset post triginta vel quinquaginta annos integre aut fere integre Liturgiam iterum esse reformandam. Hoc mihi videtur logicum iuxta praemissa, sed minime decorum pro sacra Liturgia, minime utile pro dignitate Ecclesiae, minime tutum pro integritate et unitate fidei, minime favens unitati disciplinae. Dum ergo mundus velocius in dies ad unitatem tendit, fines nationum superando, praesertim in agendi et vivendi more, nos Ecclesiae latinae mirabilem unitatem liturgicam infringimus et in nationes, regiones, immo et provincias dividimus? ...[7]

Mea submissa sententia, maximi momenti sunt universalitas et unitas sacrae Liturgiae, praesertim in sacrificio Missae, quae unitatem et catholicitatem fidei — cum sacra Liturgia intime connexae — *confirmant*[8] et ostendunt. Cavendum est insuper ne quid detrahatur supremo iuri Romani Pontificis, nam can. 1257, plurium *et uniformium*[9] Romanorum Pontificum encyclicis litteris suffultus, uni Apostolicae Sedi reservat « sacram ordinare liturgiam »; Constitutio *Mediator Dei* idem praescriptum gravibus verbis repetit, interpretatur, *iterum*[10] atque iterum et nervose confirmat.

Concludo: in Liturgia, saltem in sacrificio Missae, lingua latina, in territorio iuris communis, integre et ubique servetur.

Tandem, attento intimo nexu inter legem credendi et legem orandi, perpensis animadversionibus a pluribus factis, quae saltem incertos nos reddit de terminologiae in schemate adhibitae sub respectu theologico perfectione, quae in documento conciliari omnino requiritur; considerato plurium schematis propositionum influxu in disciplinam sacramentorum, humiliter et instanter rogo ut momento opportuno, a *praesidentia*[11] determinando, suffragium congregationis generalis exquiratur super hoc, nempe: *Utrum schema remittendum sit commissioni mixtae, cuius quaedam membra ex commissione de doctrina fidei et morum, quaedam alia ex commissione de Liturgia, alia denique ex commissione de disciplina sacramentorum sumantur.* Dixi.

In textu scripto tradito: [1] legitur in Prooemio. [2] deest. [3] oportet. [4] quas regunt quidam veteres praecursores. [5] integre. [6] Recte distinctum fuit ministerium a magisterio, et primum unice per secundum absolvi non potest. [7] Et hoc vocabimus S. Liturgiae progressum? [8] comprobant. [9] deest. [10] deest. [11] Consilio Praesidentiae.

14

EXC.MUS P. D. THOMAS COORAY
Archiepiscopus Columbensis in Ceylon

Em.mi Praesides et venerabiles Patres,

Veniam peto loquendi de usu linguae latinae, de quo tractatur in art. 24, etiam passim 21, 41, etc., et etiam indulgentiam peto si quasdam res repeto hac in re; sed ego credo quod, cum tractatur de bono communi totius Ecclesiae, audienda est etiam Ecclesia ex Oriente.[1]

Notandum est hic non agi de Ecclesiis orientalibus quae proprios ritus habent, sicut etiam proprium ius canonicum. De illis tractandum est loco proprio, et ipsae *Ecclesiae,*[2] ut patet, qualibet lingua, ab auctoritate competenti approbata, uti possunt. *Hoc dico ne fratres ritus orientalis putent ipsos praetermissos esse a commissione.*[3]

Praenotamen.

Quando loquimur de usu linguae latinae in Ecclesia, clare distinguendum est inter clerum et populum seu fideles laicos. Quantum ad *clerum* seu Ecclesiam regentem, docentem, pascentem, oportet ut servetur usus linguae latinae. Quantum ad *fideles* seu in docendo, *in*[4] regendo *et*[5] pascendo, habendus est recursus ad linguas vulgares secundum circumstantias locorum et gentium.

Sed saepe saepius res sunt mixtae inter clerum et populum, sicut in sacra Liturgia, et inde oriuntur difficultates.

His praenotatis, liceat mihi sequentes observationes proponere. Et quidem, ne videatur Constitutioni Apostolicae *Veterum Sapientia* quocumque modo contradicere, haec statuenda esse opportunum censui:

Primo: *In genere.*

Linguae latinae usus in Ecclesia occidentali servetur apud clerum.

Notandum est hic non agi, ut patet, de re doctrinali vel dogmatica, sed tantum de re practica. Hoc dico quia quidam cynice quaerunt utrum lingua latina ad salutem sit necessaria vel utrum caelites latine loquantur...[6]

Unde repeto: linguae latinae usus in Ecclesia occidentali seu latina servetur apud clerum.

Rationes inter praecipuas citare velim sequentes:

Ecclesia, in quantum societas humana, debet habere (in quantum possibile) propriam linguam, sicut unaquaeque *societas habet suam, v. g. unaquaeque natio.*[7] Quia tunc ...[8] una esset lingua authentica in legislatione (*loquor de Ecclesia regenti*),[9] quod est omnino necessarium; *et etiam*[10] faciliores reddentur relationes inter populos diversarum lin-

guarum, qui omnes sunt membra eiusdem Ecclesiae catholicae. Si v. g. tempore huius Concilii Oecumenici, si Sancta Sedes debuisset ad unamquamque nationem propria lingua communicationes transmittere et eadem lingua responsum accipere, quantum pondus laboris quasi suffocasset secretariatum generalem!

Quantum ad Ecclesiam docentem:[11] per linguam communem opera scriptorum sacrorum — vel Patrum vel theologorum — omnium nationum et omnium temporum, eveniunt thesaurus communis totius Ecclesiae per totum orbem dispersae et usque ad consummationem saeculi permansurae. E contra, si, verbi gratia tempore patristico, unusquisque Pater proprio idiomate scripsisset — sicut Apostoli qui varias linguas loquebantur die Pentecostes — quanta scripta pretiosissima hodie manerent libri septem sigillis signati, sicut ille liber de quo in Apocalypsi S. Ioannis...[12]

Tertio, *relate ad Ecclesiam pascentem*:[13] per linguam communem evitantur contentiones, *sicut iam dictum est* [14] (haud rarae his diebus, quando aemulationes politicae inter nationes praevalent) circa primatum inter varias linguas nationales; verbi gratia, si liceat uti lingua gallica vel anglica, quare non etiam lingua vel indica vel serica seu sinaica, *etc.?* [15]

Concludo hanc partem generalem sic:[16] Divina Providentia per viginti saecula conservabat linguam latinam in Ecclesia occidentali. Non videtur adesse ratio sufficiens mutandi hodie hanc dispositionem divinae Providentiae forsan arcanam.

In specie.

Quantum ad Liturgiam. In celebratione Missae, *sicut iam dictum est,*[17] servetur usus linguae latinae in parte quae proprie pertinet ad sacrificium. In ceteris, praesertim in partibus didacticis, relinquatur libertas Conferentiis episcoporum, ita tamen ut uniformitas servetur saltem in eadem natione; in omni quidem casu, prudentiae causa, consulta Sancta Sede.

Rationes:

Usus linguae vulgaris in ipso sacrificio non est necessarius. Sacrificium certe est actus cultus socialis, sed non est actus ab omnibus peragendus, sed tantum a sacerdote pro hominibus delegato — *ut* [18] dicit S. Paulus: « ex hominibus assumpto et pro hominibus constituto » (*Hebr.* 5, 1) —. Unde sufficit si coetus fidelium possit in sacrificio participare per commenta scripta vel viva voce tradita. Ita in quibusdam ritibus orientalibus, sacerdos intra velum manet *neque videtur a fidelibus,*[19] et diaconus orat cum populo. Immo hic modus erit etiam melior, secus:

— *primo,*[20] vel celebratio Missae nimis prolongatur si fideles laici velint totam Missam una cum sacerdote attente perlegere;

— *vel,*[21] si Missa per semi-horam terminanda sit, deberent fideles tam velociter per textum transcurrere ut Missa esset velut quoddam, *quod vocatur,*[22] « mantram paganorum » seu incantatio, de qua legentes nihil pene intelligant, praesertim cum laici, *sicut iam dictum est antea,*[23] generatim sint imparati ad facile capiendum sensum theologicum saepe saepius profundissimum, qui in textu Missae continetur.

Secundo: in partibus praesertim didacticis relinquatur libertas Coetibus seu Conferentiis episcoporum. Lex universalis non debet ferri hac de re, cum usus linguae vulgaris maxima incommoda, non dico nocumenta, potest secum ferre in non paucis regionibus. Ex his incommodis nonnulla tantum citare velim:

1. Timendum ne usus linguae vulgaris ...[24] causam ministret invidiarum, dissensionum, discordiarum, militetque contra tam optatam unitatem in cultu divino, sicut certe eveniet ubi (sicut apud nos) plures in eadem regione, immo in eadem paroecia, linguae primatum vel potiores partes disputant.

2. Hoc vero adhuc magis timendum est ubi usus linguarum respondet conditionibus ordinis socialis, vitae occupationibus, divitiis vel paupertati. Talibus in circumstantiis usus sermonis vulgaris introducet statum intolerabilem; in locis vero Missionum oriretur confusio maxima et disintegratio operis.

3. Nec sumenda (loquor praesertim de regionibus missionum) lingua extranea, verbi gratia anglica vel gallica, ut lingua communis, ubi plures sunt linguae indigenae locales. Nam tunc Ecclesia accusari posset ut fautor colonialismi et inimicus autonomiae nationalis.

Sic de Missa.[25]

Pauca[26] *quantum ad divinum Officium.*

Omnino servandus est usus linguae latinae in recitatione communi vel in cantu apud clerum. Secus recitatio in communi evaderet impossibilis, praesertim ubi adsunt sacerdotes diversis idiomatibus utentes. Favendus est usus linguae latinae etiam in recitatione privata apud clerum ne, per recitationem privatam in lingua vulgari, gradatim recitatio publica in dissuetudinem cadat, sicut etiam habeatur facilitas *linguae latinae apud clerum.*[27]

Recitatio publica divini Officii est fovenda, si restauranda est...[28]

Praeses card. PLA Y DENIEL:

Tempus loquendi est transactum: satis!

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] deest. [3] deest. [4] deest. [5] deest. [6] Cynismus — non dico humorismus, sed cynismus — est vitandus, praesertim inter fratres, inter quos sicut apud caelites semper vigere debet lingua caritatis. [7] societas civilis perfecta (e. g. natio) generatim habet suam. [8] Primo: *a*). [9] deest. [10] *b*). [11] secundo. [12] Apostoli. Nonne eadem possit esse conditio scriptorum modernorum post multa saecula quando forsan lingua anglica vel gallica vel germanica vel quaelibet alia erit illis futuris populis sicut antiqua lingua aegyptiaca seu hieroglifica pro nobis; quod clarius adhuc apparet quando inspicimus evolutionem eiusdem linguae decursu temporum v. g. tanta est differentia, credo, inter linguam anglicam antiquam (seu Anglo-saxon) et linguam anglicam hodiernam, quanta inter germanicam et anglicam modernam. E contra lingua latina est stabilis et tantae evolutioni non est aperta. [13] deest. [14] deest. [15] et ita quasi ad infinitum. [16] quarto. [17] deest. [18] prout. [19] deest. [20] *a*). [21] *b*). [22] deest. [23] deest. [24] sicut optime dixit card. Bacci. [25] deest. [26] B. [27] lingua latina generaliter utendi. [28] vita liturgica in Ecclesia. Nam officium divinum est actus cultus totius Corporis Christi Mystici. Unde valde optandum est ut in quantum possit, etiam clerici choro non obligati officium divinum in communi recitent. Unde propono ut aliquid hac de re addatur in art. 78. – C. *De ceteris* i. e. in administratione sacramentorum etc. relinquatur libertas Conferentiis episcoporum prout iam supra dictum est de parte didactica sacrificii Missae (iis tamen partibus exceptis quae ad essentiam sacramentorum pertinent). Unde decretum de usu linguae latinae prout est in art. 24 et alibi, valde sapienter exaratum esse videtur et ergo sensu supra dicto servandum. Velim tamen emendationem quandam ad art. 78 proponere: nempe ut in loco apto addatur sequens: « Recitatio officii divini in communi fovenda est etiam apud clerum in sacris Ordinibus constitutum sed per se ad talem recitationem non obligatum ». Nota ad pag. 158 ultima linea: melius esset si post verbum « necessitatibus » addatur verbum « pastoralibus ».

15

EXC.MUS P. D. IOSEPH GAWLINA
Archiepiscopus tit. Madytensis

Em.mis, exc.mis, rev.mis Patribus,

Quae sequuntur proponere audeo. Ad art. 24, pag. 167: de lingua liturgica.

Quoad usurpationem vulgati sermonis in Liturgia, stricte distinguatur:

a) inter ipsum textum liturgicum S. Missae a sacerdote lectae aut cantatae, et

b) inter lectiones, orationes et cantus tempore Missae, sed extra eiusdem textum liturgicum pronuntiandos.

Quae ultima pars valde commendanda videtur, quia pietatem et de-

votionem auget, quia verba et sensus canticorum sacrificio Missae aut Officio celebrato accommodatorum omnibus patent.

Pars vero altera, nempe interpositio alicuius partis S. Missae in lingua vernacula, quamvis primo aspectu alliciens, tamen ob noctituros eventus non admittenda videtur, ratione praesertim habita irritationis nationalisticae, qua animi — proh dolor — in variis regionibus bilinguibus exasperantur. Periculum enim est, ne lingua « viva » cuiusdam nationis, ab alia, uti instrumentum « denationalizationis » consideretur et non paucos a Missa repellat.

Lingua vero latina nullius est nationis omnibusque servit; quapropter omnes ubique terrarum catholici occidentales sentiunt se « domi suae » audientes Missam in lingua latina.

Quoad art. 39, pag. 175, articulus hic ponatur hoc modo: Homilia, tamquam pars ipsius Liturgiae *praescribitur* diebus dominicis et festis de praecepto *in omnibus Missis; aliis vero aptis occasionibus commendatur.*

Articulus 42 ...

Praeses card. PLA Y DENIEL:

Hoc est capitulum II, de quo non loquendum est hodie.

Orator: Dixi!

Textus scripto additus:

Art. 9, lin. 21, pag. 162 loco « speciali quoque dignitate » ponatur: « magna quoque dignitate », quia quod est « quoque » non potest esse « speciale ».

Item:

Infrascriptus Archiepiscopus tit. Madytensis quae sequuntur proponere audet:

1. *De lingua liturgica*: Totus mundus tendit ad linguam *unitariam,* quam in sic dicto « Esperanto » invenisse multi putant.

Ecclesia Catholica Occidentalis talem linguam unitariam et universalem scilicet venerandam linguam latinam iam habet. Non convenit, ut hoc vinculum unitatis in S. Missa aut Breviario destituatur. Lingua enim latina, nervosa et arguta, proprie mortua dici non potest et a catholicis occidentalibus uti « sua propria » sentitur. Quapropter eius scientia et cognitio — ad mentem Summi Pontificis Ioannis XXIII — in Seminariis excolatur et in S. Liturgia fideliter servetur.

Quae eximius ille Stanislaus card. Hosius, Legatus Pontificius ad S. Concilium Tridentinum clare in Dialogo suo « De Missa vulgari lingua celebranda » exposuit, etiam pro nostris temporibus valent nempe Missam et Breviarium in lingua vernacula a Sacerdotibus dicenda plus detrimenti quam emolumenti allatura esse et potius inservire posse rerum novandarum et separationis cupidis ecclesiis nationalibus.

Ideo proponitur, ut *a*) S. Missa et Breviarium a Sacerdotibus Ecclesiae Occidentalis semper lingua latina dicantur.

b) Breviarium a Monialibus lingua vernacula recitari possit.

2. Desideratur humillime

a) ut S. Gregorio Nyssensi addatur titulus Doctoris;

b) ut promoveatur canonizatio Ioannis Duns Scoti, Henrici card. Newman, et praesertim P. Petri Skarga, S. I., optime de Unione cum Orthodoxis saeculo XVI meriti.

16

EXC.MUS P. D. FRANCISCUS ŠEPER
Archiepiscopus Zagrabiensis

Em.mi, exc.mi et rev.mi Patres,

Schema propositum praestare videtur eo quod praebeat solidum fundamentum theologicum quo sacra Liturgia innititur. Nec minus momentum pastorale Liturgiae in clara luce positum est.

Sublineare vellem momentum primarium Liturgiae pro actione pastorali maxime elucere in experientia earum nationum, in quibus libertas Ecclesiae plus minusve coarctatur, et sunt multae (*ni fallor, sumus saltem quinquaginta quinque milia milium*).[1] Ubi nec scholae catholicae adsunt, nec Actio catholica, nec prelum religiosum, nec instituta caritatis, solum adhuc altare remanet. Ideo omnes thesauri Ecclesiae in sacra Liturgia absconditi aperiri debent ut late pateant fidelibus eorumque vitam spiritualem alant.

In hoc contextu mihi magni momenti videntur ea quae dicta sunt *de ampliore usu linguae popularis in Liturgia* (nn. 24 et 41). Principium quidem de lingua liturgica, quae fere in tota Ecclesia occidentali — *fere in tota*[2] — est latina, retinendum est, *principium*.[3] Est etenim aliquod, quamvis non unicum nec absolute necessarium, signum unitatis in fide. *Praeterea*[4] usus exclusivus linguarum popularium in sacris ritibus viam aperiret individualismo sacerdotum, qui sine multis scrupulis saepe proprio marte textus mutarent.

Attamen, hoc principio uti norma generali retento, omnino necessarium est hodiernis temporibus, ut amplior locus concedatur usui vulgati sermonis in Liturgia. Hodie etenim activa et communitaria participatio fidelium in Missa aliisque sacris urgetur; haec autem minime obtinetur, si fideles solummodo uti muti spectatores, versiones sacrorum textuum prae manibus habentes, sacras actiones « sequuntur ». Praeterea conscientia laicorum catholicorum quoad iura e sacramento Baptismi emanantia semper magis evolvitur.

Ideo haec mihi, uti mininum quid, quoad usum vulgati sermonis in Liturgia necessaria videntur:

1. Quotiescumque sacerdos pro populo celebrat (ergo non consideratur casus quo sacerdos privatim cum solo ministro celebrat), *quotiescumque pro populo celebrat,*[5] lectiones omnes — nam sunt verbum Dei ad fideles — dicendae sunt lingua vernacula, iuxta versionem a competenti auctoritate ecclesiastica approbata. Hoc in casu, omittenda est lectio pericoparum in lingua latina, nam lectio bilinguis est onerosa, nec ullum sensum habet — nisi velimus aliquo formalismo indulgere — ut sacerdos, postquam verbum Dei populo proclamaverat, celeriter et mechanice pro se latine recitet.

Idem dicendum est de prima oratione, de « oratione fidelium » et de postcommunione. Omnia alia a sacerdote latine dici possunt *et debent.*[6]

2. Ubi impossibile vel valde difficile sit ut populus, in Missis in cantu, latine Ordinarium et Proprium cantet, permitti deberet usus linguae vernaculae, *uti iam pluries a Sancta Sede concessum est.*[7] Nonne plus valet ad pietatem populi fovendam ut totus populus sua lingua cantando actionem sacram comitetur, quam ut duo vel tres cantores, plus minusve correcte, latinum textum decantent?

3. Amplior locus linguae populari tribui deberet in ritibus Tridui sacri.

4. Item in administratione sacramentorum et sacramentalium, uti iam Sancta Sedes pro pluribus nationibus concessit.

Alia habeo dicenda de rebus quae pertinent ad caput de sacrosancto Missae sacrificio.[8] Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] deest. [3] deest. [4] deest. [5] deest. [6] deest. [7] deest. [8] deest.

Secretarius generalis:

Nunc fit repositio Sacri Evangelii; proxima congregatio generalis habebitur feria VI, hora 9, et prosequetur discussio circa prooemium et caput I.